

CAESARIS  
AE VOLVI  
NEAPOLITANI,  
DE DIVINIS ATTRIBVTIS.  
quæ Sephirot ab Hebreis nuncupata.  
AD MAXILIANVM II.  
IMPERATOREM ROMANVM.



VENETIIS,  
Apud Franciscum Zilettum. M D LXXX.



# MAXIMILIANO II.

## IMPERATORI ROMANO,

Cæsar Æuolus Neapolitanus.



APIENTES fere omnes , qui  
mentis sua acie arcana diuina  
magis penetrarunt, duo arbitra-  
ti sunt signa & Deo Opt. Max.  
frontibus Imperatorum celari :  
quorum alterum timorem, ac metum incutit, al-  
terum vero ad amorem, atque benevolentiam ani-  
mos initat. Vnde primo statim tempore, cum ad  
aulam tuam configerem, diuina ista signa fronti  
tua impressa , ad huiusmodi passiones animum  
meum excitauerunt. Postea vero cum egregias  
tuas virtutes, singularesq; in te, tanquam in specu-

A 2 lo




lo praluentes, animi dotes admirarer, non ex illis  
tantum, quas in te primum animaduerteram,  
sed ex alijs quoque causis motas in me perspexi  
passiones in dies augeri. Virtutum enim animi te:  
iustitia, fortitudoq; turbatos animorum motus  
libent, incredibiliq; conatu, ut te extimescant,  
verantur, atque obseruent, omnes coercent.

Affabilitas vero tua, māsuetudo, atq; entrapelia,  
cum ceteris virtutibus tuis semper coniuncta amo  
rem, benevolentiamq; animis inducunt. Quibus  
ego permotus causis, passiones in me trans fusas,  
magis, magisq; confirmari re ipsa experior. Pro  
pterea, quoniam animi passiones in bonum rela  
ta, ut effectus bons ferant, palam proferri debet  
quantum in me fuit, quantumq; vel labore con  
niti, vel studio assequi potui, elaboravi, ut illas,  
quibus valde afficior, ex fortitudine tua, iustitiaq;  
ortas, omni humilitatis gestu, debitaq; obseruan  
tia cultu cumulate explerem. Reliquas vero ex  
alijs virtutibus tuis emanantes, prosequi omni  
studio sine exceptione laboris, aut occupationis  
sum arbitratus, offerendo tibi quicquid à me pro  
virili

virili (quæ tibi qualisq[ue] semper debetur) præstari potest. Idcirkò cupiens tibi uniuersa bona deferre, hunc volui libellum, non pauci laboribus absolutum dedicare, ac immortali nomini tuo consecrare. Hoc itaque munusculum illa animi alacritate admitte, qua soles conq[ui]aria. niceterisq[ue] tuis cumulatissimè elargiri. Vale igitur invictissime Cesar, & tantam virtutum animi tui curam habeas, quanta semper Cesar.

Aenolus, tuus  
humil-

limus seruus, seruitijs tuis  
erit addictus.



# IN DIVINA ATTRIBUTA.



## PROLOGIUM



Vm homo, iuxta Platonis sententiam, sit Anima rationalis, participes mentis, vtens corpore: ratio expositulat sua, vt possit ad unguem suo fungi officio, ac semet ipsum pro suo virili parte ad æqualitatem redigere, vt adiungat, prout mentis particeps est, aciem intellectus ad superiora. Quoniam vero est Anima rationalis, nullum debet studium atque laborem prætermittere, vt scipsum agnoscat; prout vero vtitur corpore, expedit, vt se tradat ad humanarum regimen rerum. Verum quia non potest alios, ac semetipsum regere, qui veritatis nomine bonum à malo, verumq; à falso felicere nescit, cùm pro certo teneret debeat, neminem posse veritatem adipisci, dum intellectus lumine vacat; oportet nos aciem mentis ad Deum erigere. Deus enim illustrans mentem, abradit rubiginem omnē,

renocat



reuocarnos ad veritatem, ac inde prosequimur bonum. Quare cum inter omnes Metaphysica scientias magis erigat animum: non ab re Sapientes omnes profitentur, illam esse utiliorum, nobilioremque alijs; nobiliorem sane, quoniam versatur circa res omnino à materia sciuntas; utiliorum vero, quoniam ex causa vires animi maius recipiunt incrementum: Etsi omnes quidem scientias quælibet eius pars, cum nobilitate subiecti, tum etiam utilitatis antecellit gratia; non tamen sunt inter se eequales & pares. partes enim Deum perscrutantes, vel aliquid Dei, sunt eiusdem partibus præstantiores, quæ circa ab alio deriuatum est versantur immobile. Quò sit, ut scientia de Diuinis attributis, quæ Hebrei, Sephirot, nuncuparunt, sit longè præstantior alijs partibus: quarum subiectū est Ens creatum, immobile. Itaque, ut seriem prosequamur doctrinæ,  
( quamuis hoc admodum  
sit difficile, ac onerosum ) de his prius generatim, postmodum vero speciatim differendum est.

¶

Quod

# • QVOD IN P R A E S E N T I S E R M O N E

*Vera demonstratio minimè expētem a est.*



ORVM quæ existunt, quædam absq; materia sensibili nec esse, nec definiti queunt, quædam uero ad hoc inservi, materia indigent, in eorum uero definitione nequaquam interponitur: Quædam sane nullo pacto cum materia conueniunt, nec quantum ad esse, nec quantum ad quod quid est. Res uero existentes in materia, sine qua minimè definitiosi subiiciuntur, vel generantur, & corrumpuntur, vel nullam, nisi ad ubi, mutationem pariuntur. Quæ uero corruptionem subeunt, clementia quidem, plantæ, metalla, animalia, & lapides, tam secundum genus, quam secundum differentiam, affirmatiuam fortiuntur, quod clare eluceat in animalis definitione, Animal est corpus sensituum. De rebus uero, quæ tantum mutationem ad ubi ferunt, (quemadmodum sunt corpora coelestia) quo ad genus, possumus affirmatiua vni, quo uero ad differentiam, nullo pacto. Quod sane nobis claruerit, si accurate mente spectabimus parteis huius definitionis. Cœlum est corpus incorruptibile, ubi genus affirmatiuā, differentia uero, conuersa ratione, nega-

B tiuam

tiuam obtinet. Definitionis quidem eorum, quorum  
esse in materia existit (quæ abstractione nostra pro-  
cul materia definiuntur) tam genus, quam differen-  
tiam affirmatiua assequuntur; Quod in hac defi-  
nitione facile videtur potest, Triangulus equilaterus  
est figura tribus lineis æqualibus contenta. Quæ verò  
nullum pacto cum materia conueniunt, vel esse adipiscū-  
tur determinatum, ac quidditatem indicant, quæ est  
aliud ab esse, unde modo quodam nomén substâ-  
tiæ sibi vendicant; vel sunt penitus quidditatis ex-  
pertia, eorumq; est simplex esse, ab alio non deriuat-  
um; idcirco nec Substantiæ, nec Entia propriè dici  
possunt. Quæ verè quidditatē fortiuntur, sunt ipsæ  
intelligentiæ, de quibus differendo possumus aliquo  
pacto secundum communitatem generis affirmati-  
uè agere, non autem quantum ad differentiā. Nam  
si in genere affirmativa, in differentia è conuerso ne-  
gativa intercluditur, quæ verò tantum esse assequuntur,  
quoniam differentiā non habent, nec in genus  
aliquod reducuntur, à definitionis terminis nequa-  
quam comprehendi possunt. Definitio enim ex ges-  
nere, differentiaq; constat, ideoq; de his nec quan-  
tum ad genus, nec quantum ad differentiā, aliquid  
affirmatiuè ratiocinari possumus. Proprieta, ut ad  
scopum deueniam, in nostro quidem sermone vera

demon-

demonstratio expertenda non est: principium enim demonstrationis est ipsa definitio, & demonstratio absq; definitione haudquaquam contingit esse. Quare cum huiusmodi attributa sint omnino veræ definitionis expertia, nullo pacto int̄ta terminos demonstrationis intercluduntur. Itaq; si potissima nostra oratio non erit demonstratione praeconit, quæcumque facultas fert, cunctis viribus enitar, ut ipsa pennis non sit validis orbata rationibus.

## *QVOMODO ATTRIBUTA inquirenda sunt.*



Vnde aliquis omne studium atque operam fert, ut possit aliquo pacto alicuius fidei veritatem adipisci, subinde cognatis suis difficultas occurrit, quæ quidem oboritur, vel ex deliquio in rebus existente, vel ex imbecillitate intellectus. Cum enim elaboramus, ut alicuius natura rei, quæ circulo renouatur, nobis innotescat, quemadmodum sunt, tempus, ac motus, tum difficultas in rebus existit: tempus enim, & motus cum continuè fluant, ex sui natura minime facile dignoscuntur. Ea vero quæ sunt maximè actu, nullamq; patiuntur etiam

B 2 tatio-



rationem, sicut sunt substantiae separatae, tamen natu-  
ra cognoscibilia sunt. Difficultas etiam nobis inest,  
vel propter corruptionem organi ab excellenti sensibili,  
vel ex defectu proportionis sensus ad obiectum.  
Primo modo nequaquam intellectus afficitur, immo  
aliquo valde intelligibili intellecto, non minus sa-  
nus usque ad ipsum. Secundo vero modo vinci-  
tur aliquando; nam ad substantias separatas, quae sunt  
omnium naturae manifestissimae, ut Aristoteles re-  
fert, se habet sicut oculi nycticoracu ad lumine diei,  
quod sanè contingit, quoniam nunquam intelligit,  
nisi abstrahendo a phantasmatisbus; unde nullo pa-  
cto fieri potest, ut diuinorum qualitates rerum ad  
amissim vigore mentis a sensibilibus eleuentur ob-  
iectis. Quapropter, ut ad rem ipsam reuertar, ani-  
maduertendum est iunc difficultatem non inesse hu-  
iusmodi attributis, sed potius captui intellectus.  
Attributa enim sunt maxime actu: non obducuntur  
accidentibus, sicut formae naturales non egerint ma-  
terie fulcimento, semperque manent idem: quo sit ut  
notiora sint naturae. Difficultas vero inest intelle-  
ctui, qui quidem cum sit insimus in ordine intelligentiarum, ex valde intelligibili perstringitur. Quapropter  
dum tota acie incumbit, ut diuinorum quid-  
itatem percipiat, facultas sua non fert, ut possit ve-  
ra de-

ra demonstratione uti; immo ei sola negatio. conceditur, vel aliqua imbecillis demonstratio, in qua semper genus aliquod negationis intercipitur.

## QVID SINT ATTRIBUTA.

**N**VNC igitur indagandum erit in hanc  
accidentia, vel materiales substantiae,  
vel composita ex accidenti, & substan-  
tia, vel corpora, vel aliquid aliud, si-  
c ut mens Angelica, vel sicut Anima, vel sicut ideae.  
Accidentia ne utquam erunt, quoniam accidens  
aut inest corporibus compositis, aut saltem mate-  
riæ, quando nullis terminis definitur, ut quantitas  
indefinita: quæ quidem tam intimè coagmenta-  
tur materiae, ut nusquam fecernatur ab ea. Quod  
fanè, cum accidentia nusquam absque materia esse  
assequamur, nullo pacto in diuinis attributis repe-  
riri potest. Longè enim absunt à materia, & quic-  
quid est in eis, est esse, nec aliquid accidens, aut con-  
sequens reperitur, itidē nec substantię propriè nun-  
cupari possunt, quoniam substantię ex eo substantię  
dicuntur, quia substantia, vel saltem quidditatem indi-  
cant, quæ est aliud ab esse. Attributa verò nec sub-  
stantia, nec aliquid præter suam existentiam sibi ven-

**dicant;**

dicāt. quo sit ut nec composita ex accidenti, & sub-  
stantia dici possint, tunc etenim non vnum, vnum  
quodq; orum, sed plura esset, ac vicissitudini natu-  
ralis transmutationis subijceretur, vel saltem tribus  
dimensionibus esset visibile corpus dimēsum: quod  
quidem omnino incongruum est. Cūm enim sit  
imperitum, ac simplicissimum, diuisionem non  
patitur, nec aliquam aliam transmutationem, sicut  
sunt generatio, corruptio, augmentum, decremen-  
tum, adubi, alteratio. Vacant enim substantię pri-  
uatiua contrarietate, ac loci positiuā, quæ etiam in  
quali, & in quanto reperitur, sine quibus hæ motio-  
nes nusquam coningunt esse; vnde attributum im-  
mutabili sua æternitate, modo non tantum semper  
eodem se habet, verum etiam tali pacto instruit se-  
riem causarū, vt quicquid ordinis est in natura, ex  
eo originem trahat. Quoniam vero ei vigor inter-  
minatus est, corpus esse non potest; nullum etenim  
corpus natura indefinitum est, & finitum sanè ex se  
potest virtutem infinitam minimè ferre. Etiam exi-  
stīmandū non est substantias separatas esse: hæ sa-  
nè habent esse participiū. Attributa vero simplex,  
atq; absolutum, ex quō minimè possunt anima esse.  
Anima enim, quō ad esse, inferior est substantijs se-  
paratis, magisq; adhæret corpori. Præterea nec idee,  
nam

nam extra mentem, ut ipse met Aristoteles docet, ne utramquam existunt. in mente vero sunt simulachra, siue spectra rerum; Attributa vero spectra non sunt, nec eorum virtus in inferiora, tanquam ex spectra transfunditur, sed potius tanquam ex causa mouente, ut inferius ex his quae dicentur, palam erit. Si vero, ut ex prehabitis clare eluceat, nec accidentia sunt, nec substantiae materiales, nec composita ex accidenti, & substantia, nec corpora, nec intelligentie, nec anima, nec idea; consentaneum est, ut sint vel ipse Deus, vel aliquid ex Dei esse propendens. Deus sane possunt, ne utramquam esse, quoniam sumptus in sua simplicissima unitate, tam secundum esse, quam ratione, individuus est. Attributa vero, si non in plura, quo ad esse, saltem ratione, diuisibilia sunt: quod sit, ut Deus non sint, sed potius emanationes ex Deo egredientes, sicut radij ex Solis substantia; qua de re, si radij sunt instrumenta, quibus Sol agit in mundo elementalium, existente infra se: congruum erit dicere, Attributa huiusmodi esse Dei instrumenta, quibus Deus agit in his, quem continentur ab eo, in substantiis scilicet separatis in mundo celesti, ac etiam in istis inferioribus. Quamuis vero in hoc decenter congruunt, in reliquis uero nimirum dissident: radij enim Solis sensu percipiuntur, emanata ex corpore, disponunt



nunt tantum subiectum: sunt finiti vires: non agunt in inferioribus, si prius officio intelligentiarum, virtutem ex ipsis non hauriunt. Attributis aduersantur tenebris, tantumque agunt in his quae educuntur ex hile potentia. Attributa vero minime sensu dignoscuntur: a simplicissimo esse, non a corpore describantur: tribuunt esse omnibus: sunt virtute infinita praedita: vigore proprio in omnibus agunt: vacat contrarietate: viresque modo eorum ad genita ex materia tantum non protrahuntur, uerum etiam ad conseruationem, & propagationem rerum omnium. Nonnulli vero fortasse molestè ferent, Attributa Dei instrumenta vocari; Deus enim cum sit simplicissimus, & omnino materie, ac conditionum materialium expers, instrumenta quidem habere minime potest: enim uero per instrumenta intelligenti debent Dei vires quedam simplicissime in ipso Deo permanentes, que quidem non possunt proprijs nominibus effterri. Iccircò, ut verba nostra ad captum hominis conferamur, cogimur his nominibus uti, vnde multi ex Theologorum ceteris rationibus permoti varia organa, atque membra ipsi Deo tribuuntur.

Quid

## QVID SINT ATTRIBVTA

secundum aliam methodum.



ST etiam & alia methodus, & fortasse maioris præstantiæ, quæ non minus quam negatio potest nos in hoc iuuare. In cuius ambitu quamvis non sit pura negatio, haudquaquam tamen obtingit, quin genu aliquod negationis intercipiatur, dum sup' quidem officio caussas altissimas ex motis in mouentia procedendo, indagare nitimur. Propterea, ut secundum methodum istam fides aliqua de hic accipiatur, animaduertere operæ pretium est, quod omne, quod mouet, ut Aristoteles refert, necesse est ab aliquo moueri, & quod mouet ab altero, quoniam & ipsum mouetur, & rufus hoc ab altero. Verum quia aliquid necesse est esse principium motus, ex eo, quod impossibile est in infinitum abire; oportet aliquid immobile esse, quod primo sit causa motus. cui sanè, quoniam simplex est, penitusque corporis expers, organa aliqua corporea minimè ascribi possunt. Ideoquæ dum mouet ipsum, arbitrari debemus nō manibus vel aliquo alio instrumento, sed tatum virtute vti sua: quæ quidem, cùm à Deo per ipsam cuncta moueantur, ac etiā in

C plu-



plures intelligentias transfundatur, nomen instrumenti quodammodo sibi uendicat, et si non sui, saltem intelligentiarum ratione, in quas effunditur, in plures uirtutes diuiditur. Vnde ex una multe emanantes, iuxta similitudinem quandam, dicuntur esse illa Dei instrumenta, quibus ipse agit in omnibus, que ab eo continentur.

## QUOD DE VNO QVOQUE ATTRIBUTORUM SPECIATIM DIFFERENDUM SIT.

**A**entes quidem separatae quarum actio nihil commune cum actione corporis est, nam o penitus suum, non indigentes corporis opera, officium explent, tantum intelligendi viribus pollent, ut prius in earum, & posterius intellectione haudquam contingat esse; propter ea non agunt à notioribus nobis ad notiora naturæ, nec unum eis post aliud occurrit; minimo vero intuitu, absque alia ratiocinatione quidditates percipiunt rerum. quapropter prius vniuersalia, postea vero particularia neutram agnoscunt, sed simul totam essentiam rei, quod humano intellectui non ineſt; nam cum apus natus sit unum post aliud intelligere, fieri nequit, ut viribus ferè suis in instanti quid-

quidditates rerū, à phātāsimatibus eleuent, sed prius  
ei vniuersalia, postmodum particularia occurrunt.  
Itaque ut intellectus intelligendi seriem prosequa-  
mur, quoniam in communi demonstratū est, quid  
sint Attributa, nunc speciatim de unoquoque eo-  
rum indagandum est. Quanquam hoc operosum  
sit, laborisque immodici, quoniam de rebus in præ-  
sentia agitur, quæ cum ī plura, veluti naturales sub-  
stantiæ, non multiplicentur, possumus de his pauca  
proferre; Verū modica simplicium rerum cogni-  
tio oblectationem maiorem nobis affert, quām cor-  
ruptibilem rerum, & sit quantumlibet magna. Pla-  
tonici verò arbitrati sunt, naturales res umbras in-  
corruptibilem esse. quare si quis cognitionem ea-  
rum assequitur, tunc umbras, non substantias, perci-  
pit. Qui verò ad quidditates incorruptibilem men-  
tem erigit, deque ipsis scientiā adipiscitur, non um-  
bras tunc, sed verarum substantiarum, à quibus um-  
bras emanant, cognitionem assequitur. Quoniam  
verò oblectatio hauritur ex eorum cognitione,  
quæ sunt maximè actu, propterea intellectus am-  
plius in eorum cognitione oblectatur. Huic e-  
tiam Aristoteles ipse assentitur, proferens, Res  
illas superiores, tametsi leuiter attingere possu-  
mus, tamen, ob eius cognoscendi generis ex-

C 2 cellen-


cellentiam, amplius oblectamur, quam cum hec nobis iuncta omnia tenemus; quemadmodum quamlibet partem minimamque corporis nostrarum puerilæ deliciarum vidisse, gratius, ac iucundius est, quam cæterorum hominum membra tuta perspexisse, & contrectasse. Idcirco oblectatione subiecti breuitas sermonis comprensabitur.

**Q U O M O D O I N T E L L E C T U S**  
ad ueritatis manifestacionem, aliquando cogatur  
aliquid imaginari in rerum natura  
non existens.

**A**CCORDINTEQUEM viterius procedamus, quisque scire debet, quod si difficultas subiecti nolitatem arguit, ex eo, quod vires animi elaborando; circa ea, que sunt naturæ manifestissima, in dies vigorem suscipiunt. Propterea obrigit in rebus arduis, ut intellectus aliquando nimia difficultate impulsus, non cogatur ad veritatem enucleandam modo tantum uti exemplo, verum etiam aliquid imaginari in natura non existens; quo si ut nonnulli, exempli gratia, ut habetus recta ratio appatitionis Solis, arbitrati sunt Solem habere treis orbes à se inuicem omni que diuinos,

diuisos, atque sibi contiguos, quorum duo sunt eccentrici secundum quid, & vocantur orbes augem Solis deferentes, alter verò in horum medio locatus est eccentricus simpliciter, quoniam tam secundum superficiem concavam, quam conuexam, est mundo eccentricus. Nonnulli verò imaginantur terram circulariter ferri, Solē verò, Lunāq; pōno quiescere, multaq; huiusmodi, quæ æquè aduersantur naturæ terræ, corporisq; celestis. Platonici quoque ad hoc ut in columnis scientia habeatur, arbitrantur idæas esse. Mathematici etiam in omnibus certitudinem expetunt, & ob hoc cogitatione abstrahendo à materialibus versantur in rebus extra intellectum non usquam existentibus. Propterea, ut ad rempli reuertar, animaduertere debemus, quòd sicut Astrologi mundi Speram decem circulos disperiunt, qui quidem sunt, Aequinoctialis, Zodiacus, duo coluri, totidemq; tropici, circulus Arcticus, Antarcticus, Horizon, ac Meridianus, sic etiam antiqui sapientes hos decem scrutati sunt orbes.





non quoniam Attributa sunt orbiculares magnitudines, sed ut scientiae ordo, seriesque habeatur, etiam ut veritas facilius clucesceret.

## *CVR POTVS MAGNITVDINIBVS Orbicularibus, quam rectis usi sunt.*



Vero figuram decem orbibus construxerunt, potius magnitudinibus orbicularibus, quam rectis usi sunt, quoniam sicut in orbis nullus actu terminus existit, eodem pacto cum Attributa sunt vigoris infiniti, nullis terminis definiuntur, quod quidem non intra corticem perscrutantibus virtutur omnino indecenter. Nam si virtus, qua agunt, infinita esset, & non ageret, proculdubio ianis penitus effet. Virtus vero huiusmodi vel sumitur, prout ad effectus adiungitur, & hoc pacto ultra finitum non transcendit, vel suo inesse, & tunc est vere infinita, & cum hoc irrita dici minime potest. Non enim ad finem aliquem dirigitur, immo ad ipsum, tanquam ad verum finem, sunt omnia intenta. Hoc etiam sententia Aristotelis confirmatur, qui quidem in duodecimo Metaphysicæ ait; mouet per infinitum tempus, & non habet potentiam infinitam finitum. Ex quo



quo si virtus, qua Deus agit, infinita existit, palam est, vnumquodq; Attributorum infinitam fortiri virtutem. Nam si infinitū haudquaquam potest ex finitis partibus constare, virtus uniuscuiusq; attributorum, cùm sit pars vigoris Dei, necesse est ut sit uigoris infiniti. Sed quamvis in præsenti nunc dicatur infinitum uocare partibus, non ob id cēdere debemus, Deū esse partibus constitutū: Fragilis enim, atque laboriosa mortalitas cogitur his modis orationis uti, multisq; huiusmodi, qui Deo impropriè tribuuntur. Propterca antiqui, fortassè nē capti uiderentur, magnitudinibus orbicularibus infinitatē uigoris monstrauerunt. Et quoniam circularis magnitudo, a. cu. sphaera unica, tantū superficie definitur, uel, sicut orbis, duabus superficiebus, scilicet concava & convexa terminatur: sciendum est, circulares magnitudines, quibus Attributa ostendūtur, ueluti orbem, duabus superficiebus esse contentas; siquidem omne ens deriuatū ab ipsis continetur. Attributis, & nihil est, quod ab eorum ambitu excat, potius debemus eis orbiculares, quām Sphericas magnitudines adscribere, in concavitate enim orbicularium multa contineri possunt, quod Sphericis nō obtingit. cùm enim uacent concava superficie, præter partes suas nihil intra se continent.

Cur

*CVR LINEÆ RECTÆ INTER  
orbes interponantur.*



LINEAE verò, quæ à primo non tan-  
tum orbe dextrorum, & sinistrorum,  
verum etiam deorsum protra-  
huntur, non ~~avto patet~~ in figura, nec  
concinnitatis interponuntur gratia, sed ut ratio ha-  
beatur, quod sicut linea à primo orbe (ut in figura  
insigniter apparet) ad alios deriuantur: sic etiam  
primi Attributi vires iugiter ad alia se conferunt.  
Et quoniam virtus eminentioris tribuens alijs vi-  
res suas, ad seipsum reddit, inter huiusmodi Attribu-  
tuas, non unam, interposuerunt lineas, vt ex  
primo Attributo tantum non ostenderent discessum  
huius virtutis ad alia, verum etiam redditum in seip-  
sum, & potius lineis usi sunt, quam punctis, quoniam  
sicut linea est continua, nihilque suas inter partem ex-  
tranei interceptatur, sic etiam virtus illa, quæ in alia  
transfunditur, continua est, eademque uniformiter  
se elargitur alijs. Dubitabit forsitan aliquis, si Attribu-  
ta nō differunt subiecto, sed tantum ratione, carū nūc  
fateri oportet vnu corum ab alio virtutem suscipe-  
re, cùm exploratum sit, non posse aliquid ab aliqua  
te virtutem recipere, si ratione, ac subiecto nō dif-

D ferr

fert ab illa. Videmus enim in naturalibus corpus viuum à seipso augmentum nō recipere, sed ab alio in ipsum adueniente. Vnde animaduertere debeamus, sapientes fētē omnes fateri, animam ab intellec-  
tu lumen recipere, non quoniam intellectus, & ani-  
ma differūt subiecto, sed potius ratione, in quantū  
potentiae secundum diuersas animi operationes di-  
stinguuntur, & illa dicitur nobilior esse, quæ minus  
suis operationibus communicat cum corpore, sicut  
est actio intellectus, qui si, iuxta Aristotelē, obiectis  
indiget ad hoc, ut intelligat, ob id minimè vittur  
organis, nec, veluti sensus, particulare aliquod intel-  
ligit. Sed in imagine sua abstrahendo spectra à phan-  
tasmatibus, lumen animę affert. Idem etiam ipsis cō-  
tingit Attributis, quæ ratione diuersificantur, secū-  
dum retum diuersitatem ex ipsis deriuatam. Occur-  
ret fortasse aliquis, diuersitate contingere potius ex  
subiecti deliquio, in quo virtus eorū sum mergitur.  
Quapropter, ut studium istud deleatur, quisq; scire  
debet, actionem Dei, officio Attributorum actā, bis  
fariam accipi, vel sicut causam omnium rerum effi-  
cientē, vel sicut causam quæ omnia regit, & gu-  
bernat. Itaq; si sumitur ut omnia regit, proculdu-  
bio diuersitas effectum, non ex sua oboritur par-  
te, sed potius effectum, qui quidem cūm non fint

in cf.


in esse æquales, & pares, minime æquo captu influ-  
xum superiorum emanationum recipiunt. Si verò  
consideratur, ut causa efficiens, tunc fieri nequit, ut  
diuersitas ex ea non exoriatur. Si enim diuersitas  
effectu ab aliquo fieret, tunc esset aliquid in natu-  
ra, à tali non actu principio: quod sane nequaquam  
fieri potest, quoniam nihil est in talem causam rela-  
tum, in quam ipsum non reducatur: considerandū  
tamen est, quod si diuersitas ex tali oritur princi-  
pio, idcirco haudquaquam in ipso diuersitas aliqua  
locum obtinet, immò quamuis Solis virtute calor  
generatur, non propterea eius substantia calore affi-  
cit, immò caloris est penitus expers. Similiter  
quamuis diuersitas ex eo oriatui, non solum plu-  
ra inter se diuersa multiplicatur, immò semper idē  
individuum in sua vnitate peritabens, rerum di-  
uersitatem efficit.

## DE PRIMO ATTRIBUTO *quod dicitur Cheter.*



R I M V M omnium rerum princi-  
pium, virtute cuius cætera omnia suū  
esse assequuntur, vel cœlum motu me-  
taphorico mouet, quēadmodum apel-

D 2 peti-



petitum finis mouere dicitur; & tunc, secundum omnium ferè assertionem, intelligentiarum non utitur officio, vel mouet mediately, ut causa prima, intelligibilijs virtutem tribuendo, quod Aristotelis nō adueratur dictis; ex cuius sententia accipitur, primum principium, modo tantum nō mouere veluti finis, verum etiam ut agens primum. Propterea quamvis maiores nostri de huiusmodi differendo attributis ordine abutuntur, velutiq; balbi titubant, in hac ramē parte non iniuria nos in eorum sententiā traducere debemus. Si enim, ut ipse met Aristoteles in duodecimo Metaphysicorum afferit, uniuersum totum instar principatus se habet, consentaneum est, quod sicut unus alius, um ministerio mandata exequitur, sic etiā summus opifex celum mediately moueat. Nam si intervolum infinitam, & corpus finitum proportionio nulla est, consentaneum videtur, ut inter hæc aliqua substantia separata intercipiatur. Occurret fortasse aliquis, etiam inter primum principiū, substantiasq; separatas, nullam proportionem repetiri; verum quia substantiae sunt intelligibiles, atque conditionum hilæ expertes, plus primi mouentis naturæ adhaerent, ac decenter conferunt se, ut uberior vigorem Dei hauriant. Quapropter motus quo cœlum circulariter ferrur, virtute primi mouentis non

imme-

immediatè fit, sed substituæ cuiusdam separatae of-  
ficio, quæ quidem cùm moueat virtute primi moué-  
tis, oportet virtutem illam, qua cœlum euoluit, Deū  
ipſi clargiri. Verūm quia Deus ipſe, vt antea retuli,  
ipſis Attributis in omnia influit, cùm cōgruum sit,  
vt primæ intelligētiæ sit in prima Attributa relate,  
statuendum est, primam intelligentiam primū mo-  
bile deferentem, ex primo Attributo, quod vocatur  
Ceteri, suam virtutem haurire. Ex quo dici potest  
primum Attributum esse instrumētū, quo Deus of-  
ficio primæ intelligentiæ ex Oriente in Occidētem  
primum Mobile, & ex cōsequenti reliquos orbēs de-  
ferat. Nam ceteri orbēs diurno motu mininē per se  
mouētur, sed virtute primi, qui ~~ad eum~~ in  
ipsum trāsfunditur. Idcīrcō rectē dicitur, orbēs infe-  
riores ex consequēti hoc modo ~~ad~~ cui. Quoniam  
verò primum mobile dirigens alias lationes genera-  
tionis, vniuersalem circulationem dirigit, opinari  
etiam debemus primum Attributum esse instrumē-  
tum, quo Deus officio primæ intelligētiæ ex Orien-  
te in Occidentē Mobile primum deferēs, ceterasq;  
Sphæras, munus vniuersale generādi in huiusmodi  
orbē infundat. Præterea si omne quod conline-  
tur à celo, præter hominis voluntatem, à superiori-  
bus emanationibus gubernatur, ac suatum virtū su-

scipit

scipit influxum, consonum est, ut inde munera nostra etiam hauriantur, quæ quidem vel emanant ex virtute per corpora cœlestia nobis delata, quemadmodū sunt pulchritudo, corporisq; robur, quæ, ut palam ex dictis est, officio cœlestis corporis generantur: vel immediatè ab ipsis attributis deriuantur, sicut prudentia, iustitia, fortitudo, temperantia, multaq; huiusmodi, quæ haudquaquam à corporibus cœlestibus inferri possunt, immò multoties inclinatio cœlestis, aduersante virtute aliqua, in irrum cedit. Cōtingit enim aliquando, ut Luna versante in Libra, siue in Capricorno, applicans se Marti, Veneriq;, excitat aliquem ad libidinem, qui sanè inclinationē non sequitur, sed potius virtutē continentia, vnde virtus ista, quæ aduersatur dispositioni cœlesti corporis, faciens ipsa incassum ruere, non ex corpore, sed potius à nobiliori exoritur causa; et si aliquando aliquis, ob corporis sui temperamentum, à superioribus lationibus cōpactū, potest à libidine se nullo labore abstinere, sicut accidit ijs, qui nimia frigiditate afficiuntur, nō ob id meritò verā virtutem affequitur. Virtutes enim sunt medietates quædam, & temperatia ipsa, de qua nunc, exempli gratia, agitur, est quædam medietas reprimens delectationes sensibiles, & moderās (ut ita dicam) insensibilitates.

Quo-

Quoniam verò, qui corporis temperamētū sequitur, nullam reprimit sensibilem delectationem, nec moderatur alicui insensibilitati, proculdubio virtutem temperantiae nō adipiscitur, immò potius, sicut cetera animantia, corporis inclinationem sequitur. Propterea existimadum est, ex hoc virtutes nō exoriri, sed potius ex eo, quod passiones in nobis à celo temperamento corporis insitae, robore animi irritae fiunt. Propterea si absq; celestium corporum officio inferuntur, necesse est, ut ab ipsis ferātur Attributis, vel à substatijs separatis mouētibus cœlum; ex substantijs separatis nequaquam contingunt esse: quicquid enim ex eis in inferiora transfunditur: non est immediate, sed per corpora cœlestia delatum; quò necessariò sit, ut absq; intelligētijs, medijsq; corporis, ab ipsis ferātur Attributis. Etm uero cū deceat, ut virtutes quæ nobilitate alias precellunt, à nobilio ri producantur causa, cōgruūn est, ut primū Attributum sit instrumentum, quo principales virtutes, Prudentia scilicet, Iustitia, Fortitudo, & Temperantia, immediate à Deo in animam deferātur. Occurret fortasse aliquis, cur hæ quatuor principales, cùm plures sint, ex uno tantū principio deriuentur? quoniam inter se tam intimè coagmentantur, ut rite dicantur, ex uno tantū principio exoriri, quod sanè

vir-



virtutibus alijs non competit. Nam et si cum suspe-  
tioribus modo quodam conueniunt: cum tamē ab  
eorum perfectione fatis superq; recedant, necesse  
est ut ab alijs educātur principijs, et si quatuor prin-  
cipales ab vno tantum educuntur, mirum non est.  
Omnis enim causa vniuersalis plura cōtinet infra le,  
quām causa particularis : ideoq; cum alijs primum  
vniuersalius sit Attributum, consonum est, ut vires  
eius ad plura se protrahant. Quapropter ex omni-  
bus his vna communis descriptio eximitur; primū  
scilicet Attributum esse instrumentum, quo Deus,  
officio prime intelligentiae, deferens ex Oriente in  
Occidētem optimū Mobile, ceterasq; Sphaeras, mu-  
nus uniuersale generandi in huiusmodi orbem in-  
fundat, & immediate in Animam quatuor prin-  
cipales uirtutes.

## QVOD DE MAGNITUDINIBVS figura amplius differendum minime est.



VONIAM autem perspicuum est,  
cur maiores, vt arbitror, nostri, ma-  
gnitudinibus orbicularibus Attributo-  
rum significationem nobis non me-  
diocri dexteritate dederunt, & cur in figura sunt  
linee

lineæ rectæ protractæ, potiusq; quam Sphæricis, orbicularibus figuris vñi sunt. Ut idem semper frustra non iteretur, de his amplius mentionem minimè faciam, cùm prò certo existimem unumquemque posse, ratione iuxta similitudinem trāslata, superius enarrata ad reliqua aggregare.

## DE SECUNDO ATTRIBUTO, quod dicitur Chochma.

**A**RISTOTELES in duodecimo Metaphysicorum, præter vniuersi simplicem lationem, quam mouere dicit primam existentem substantiam, atque immobilem, alias planetarum lationes enumerat. ex quo dilucide apparet, post primam lationem, nisi planetarum lationes, non computare, quoniam tempore suo nondum erat motus Sphæræ octauæ deprehensus, censebat octauam Sphæram primum mobile esse, posteà verò fuit viribus sensus, motus Sphæræ octauæ in contrarium primæ lationis deprehensus. Ideoqué cùm omnino incongruum sit quas simul lationes in eodem subiecto permanere, arbitrii sunt supra Sphærām octauam aliam esse ambientem Vniuersum, ac motu diurno totum cœlum re-


E voluen-

voluentem. Quoniam verò inter has lationes enarratas octaua Sphæra proprio motu mouetur, optimo iure à iunioribus deinceps fuerūt duæ altæ Sphæræ supra octauā adiectæ. Idcirkò cùm corum sententia, pondus habeat apud eos qui rectè iudicant. vt à veritate non dissentiam, cogor fateri mundum cœlestem decem orbibus bipartitum esse, quorū primus est omnibus stellis denudatus, & vt palā ex habitis est, à Deo per primū Attributū officio primæ intelligentię motu diurno circulariter fertur, alter verò qui dicitur Sphæra nona, vacat Stellis, sed in aduersum primi orbis motu proprio à sua intelligentia euoluit. Prouterea, vt ad scopum intentum deueniā, si virtus, qua intelligentiæ mouent, per Attributa in eas trias funditur, necesse est, vt intelligentia in aduersum primæ lationis huiusmodi Sphæram deferēs, à secundo quidem Attributo vires suas suscipiat. Nā si primum Attributum per primum Mobile influit, consentaneum est, vt secundi Attributi per Sphæram immediatè post ipsum succendentē, huiusmodi orbis munera sint tributa: quò fit vt secundum Attributū, quod vocatur Chochma, hoc est sapientia, sit instrumentum, quo Deus ab Occidente in Orientē officio secundę intelligentiæ nonam Sphæram defeat, & consequenter octauam, quoniam orbis fixarum.

rum stellarum haudquaquam virtute propria ex Occidente in Orientem, sed potius nonē Sphērē circulatiter voluitur: quod facilē probari potest ex hoc, quod Sphēra octaua suo proprio motu p̄dicta alio modo à suo Attributo, ut inferius dicetur, per suam intelligentiam mouetur. Idcirco cūm motus ex Occidente in Orientem sit propriæ nōne Sphæræ, non ab re dicitur octaua Sphēra, secūdum eundem motum cōsequenter à secūdo Attributo moueri, quod alijs orbibus minimè competit. Nā vnuſquisq; planetarum proprio motu à sua particulari intelligentia ex Occidente in Orientem, suapte natura euoluitur, verūm quia nona Sphēra mouens octauam, cum orbe primo in vniuersalem rerum generationem confluat, quoniam non agit nisi per virtutē ex suo Attributo ministerio suæ intelligentiæ. Ab i tributam, videtur etiam secundum Attributum esse instrumentum, quo Deus officio huius intelligentiæ munus cōfluendi in generationem huiusmodi orbi tribuat. Præterea quisq; ratum ex dictis habere potest, entia omnia à superioribus causis contineri, quorum quedam subiiciuntur intelligentijs, corporibusq; celestibus, quedam verò, quēadmodum sunt morales virtutes, sunt absq; medijs nobis insitæ, vnde si prime quatuor virtutes à superiori Attributo sunt, cōsonū

E 2 cft,

est, ut magnanimitas a sequenti Attributo in Animam transfundatur. Ex quo eua profiteri possumus, hoc esse instrumentum, quo Deus magnanimitatem in Animam infundit. Quæret aliquis, cur virtus huiusmodi post quatuor principales virtutes immediate ponitur? quoniam est omniu[m] virtutu[m] ornatus quidam, & modo quodam aliæ virtutes in ipsam reducuntur. Si enim aliquis, exempli gratia, pugnam aggreditur, prout in certaminibus delectatione afficitur, tunc virtutem fortitudinis assequitur, optimoque iure fortis nuncupatur. Si verò exponet se periculis, prout res est maximo honore digna, tunc magnanimus nuncupatur. Similiter si castitate aliquis viratur, quoniam in hoc delectatur, temperatus ac castus dicitur. Si verò hoc agit, ut magnum aliquem assequatur honorem, meritò magnanimus est. Ex quo patet propriu[m] subiectum huiusmodi virtutis non esse pericula bellica: in his sanè fortitudo uersatur, nec delectabilia secundu[m] sensum: talia enim sunt proprium subiectum temperantiae. Reuera materia magnanimitatis est honor, quoniam non ob aliud aliqua magnanimus aggrediatur, nisi in quantum fuit maximo aliquo honore digna. Quapropter ex omnibus his una communis descrip[er]io elicetur, secundum Attributum esse instrumentum, quo Deus officio



cio secunda intelligentie mouens ex Occidente in Orientem nonam Sphētam, & consequenter octauam, munus cōfluendi in generationem in huiusmodi Sphētam infundat, virtutemq; magnanimitatis immediate in animam.

## *QVOD ATTRIBUTA INTER se non coequantur.*



V M causas etiam atque etiam rōbore mentis spectamus, in generationem mixui naturaliter confluentes, semper passo causam agentem nobiliorem percipimus. Quamvis huiusmodi agentia inter se similitudinem consequuntur, ex eo sanè, quod forma quæ in agenti actu existit, potentia in passo reperitur, quod quidem pluribus exemplis, & præcipue aquæ confirmatur. Quæ etsi actu frigida, potentia tamen calida existit. Itaq; dum ignis mouet ipsam ad hoc, ut forma caloris introducatur, proculdubio in subiectū agit potentia, forma caloris prædictum. Propterea si quod vni actu inest, alteri potentia, optimo iure interagens & passum dici car similitudo locū obtinere. Verū similitudine ista haudquaquam sit, ut agens nō sit nobilior passo, im-

mō




mò semper quē patiuntur, ceteriora sunt; hoc sanè reperitur in his, quē generationi subjiciuntur. Percipimus enim materiā multum recedere à nobilitate forme, prēcipuè quoniam non agit sicut forma, faciens hoc aliquid actu existere. Idem etiam ipsis contingit elementis, quorum ignis cùm in agendo virtute sua cetera elementa prēcellat, satis superque prēstatiōrē alijs se ostendit. Idem de corporibus cœlestibus cōfirmatur, ratione sumpta ex lumine Solis in Lūnā effluente, quæ sanè cùm suum incrementū Sole adueniente suscipiat, cùm tantūm patiatur, ac radijs alterius sit lumine aucta, sua, ac Solis nobilitas nō coæquetur: hoc etiā modo, nō tantūm competit ~~corporibus cœlestibus~~, verūm etiam spiritualibus ipsis, quoniam una ex animę potētijs aliam nobilitate præcellit, præagens intellectus maiorē, quam possibilis dignitatem assequitur; ex eo, quod possibilis ad intelligibilia se habet, veluti sensus ad sensibilia. Vnde nō minus intellectus, quam sensus est potētia passiva. Quò fit, ut minimè agat sicut agens intellectus, qui quidem abstrahendo spectra, fuliginē phantasmatum, idemq; cōditiones materiales ipsa individualantes disperdit. Propterea cùm tantūm patiatur, agentis dignitatem haudquaquā assequitur. Quoniam verò superiorum agentiū mundus inf-

rior,

rior, atq; celestis simulachra sunt, quæ ad modum in  
 istis inferioribus, eode pacto in causis altissimis a-  
 gentia maioris præstantiæ sunt, quam ea, quæ ex ali  
 quo virtutem assequuntur. itaque ut scopum aggre-  
 diat, inter Attributa, quæ vigorem à superioribus re-  
 cipiunt, neutquam cum illis coæquantur. Quo sit,  
 vt minoris præstantiæ sit secundum Attributū cùm  
 virtutem à primo effluentem hauriat. Dicet aliquis,  
 hoc tātū locum obtinere in his quæ corruptionē  
 subeunt, quoniam passiones eorū corruptiæ sunt;  
 in diuinis verò rem aliter se habere, quoniam passio-  
 nes eorum corruptionem non afferunt, sed potius  
 perfectionem, ideoq; dicuntur perfectiue. Quapro-  
 pter cùm in diuinis passa talibus patimonib; perfici-  
 átur, immeritò dicūtur esse minoris præstantiæ; sed  
 reuera quāuis perfectiæ hæ sunt passiones, ob id  
 neutquam obtingit, quin in minori gradu præstā-  
 tiæ collocentur. Dum enim virtutē ex aliquo susci-  
 piunt, proculdubio pendent ex illo, ac illius vigore  
 perficiuntur. Quapropter in diuinis semper agens  
 est nobilius passio: ex quo quidnā sit illud, quo secun-  
 dum Attributum à primo differt, palā omnibus ef-  
 se potest, quod primum ex alijs haud quaquā virtu-  
 tem fert, secundum verò à primo vigorem suscipit.  
 Propterea inter ipsa tanta non est differētia, vt quo

quo

quo pacto in aliquam similitudinem non coincidat: nam sicut primū secundum virtute replet, sic etiam secundum inferioribus virtutē distribuit. Quomodo verò virtus superiorum in inferiora delata sit, opus nō est explanare: in figura enim symmetria inter ipsa existens lineis protractis facile digneſcitur. Quemadmodum enim lineæ ex uno in alia protractantur, sic etiā superiorum virtus in inferiora diffunditur, quatenus ad ultimum deueniatur: quod sane cùm infimum sit, virtutē suam superioribus nequaquam clargitur. Quapropter antiqui inferiora Stellis, superiora Soli conferunt. Nam sicut Solis lumen Stellarum excipiūt, ei minimè lumen tribuētes, sic etia inferiora attributa ex superioribus virtutē hauxiunt, & ex eis in superiora, pars aliqua vigoris non transfunditur. Nonnulli verò substantiali formæ superiora, materiæ inferiora conferebāt, ex eo, quod materię distribuit esse, forma: materia è conuerso, ut Peripatetici omnes autumant, recipit tantum. Alij verò arbitrati sunt superiora maribus, inferiora fēminis cōferenda esse. In generatione enim animaliū mas actiū confluit, forma virtualiter in semine insita, fēmina verò passiuē. Quamuis verò varijs similitudibus sensa eorum præbeant, omnes tamen communiaffertione profitentur, inferiora à superioribus



ribus virtutem recipere, non autem è contra. Nam cùm ratione differant, minimè conuertuntur. Quę verò conuersibiliter se habēt, nec ratione, nec subiecto differunt, sicut animal, & corpus sensitiuum. Omne enim animal est corpus sensitiuum, & omne corpus sensitiuum est animal. Quoniā autē est cōmuni sententia statutum, vires superiorum inferioribus conferri, ne aliquis credat inferiora esse proprijs luminibus denudata, operæ pretium est scire omnē Stellā, præter lumen ex Sole in ipsam delatum, propriis luminibus decoratam existere: similiter vñusquodq; Attributorum nō tātūm officio suo fungi tur virtute superiorum, verūm etiam omnibus in effectus sibi relatos agit: quō sit ut irrita sit sententia ponentium, inferiora attributa vigore proprio carere; vnde sensum eorum deponere debe mus, sententiamq; eis aduersantem suscipere.

## *QVOD INCONGRVM FVIT PONERE causas motrices non mouentes.*



I tantam esset aliquis facultatem natus, vt in rebus ferè omnibus posset veram demonstrationem aggredi, omnis quidem disceptatio nullo labore deleretur, & fortasse ex

F. Vna

vnā re tot diuersæ sententia haudquaquam pullula-  
rent, immò omnes primis demonstratiōnis princi-  
pijs veris, eisdemq; immediatis in vnum conueni-  
ent. Verūm quia Dialecticis principijs potius uti-  
mur, dū veritatē cupimus alicuius rei indagare, cir-  
ca idem, vt plurimum obtingit diuersas non tan-  
tum res, verūmetiam contrarias statuere. Nam, vt  
Dialectici cognitum habent, ad vtranque partem  
rationes habet, qui vera non vtitur demonstratio-  
ne. Idcīrcō quod vni alteri idem minimè videtur,  
quòd præcipuè ea contingunt perscrutantibus, quæ  
longè sensu absunt, quemadmodum sunt huius-  
modi Attributi. de quibus nōnulli differendo, tria  
existimarunt superiora in corpora celestia nequa-  
quam influere. Hoc verò incongruum esse uidetur,  
quoniam si vnicuiq; inferiorem orbium, in qui-  
bus planetæ deferuntur, proprium Attributū meri-  
tò tribuerunt, cur etiam sua Attributa superioribus  
nō dederūt, si profectò eorū motu inferiorum latio-  
nes diriguntur? Quapropter non possum non mi-  
rari, quomodo ipsi perspicuum minimè habebāt se  
frustræntia multiplicare. Contingit enim sensum  
hunc prosequētibus, cumulatis huiusmodi Attribu-  
tis, virtutes motrices, non mouentes ponere, vel cor-  
pora ex se mota absq; motorū ministerio, quod om-

ninò

ninò aduersatur rationi, ex eo q̄ omne quod mouetur, necesse est ab aliquo motore extrinseco deferri, usquequò ad unū motorē immobilem deueniatur. Dicet aliquis ob id cęlestia corpora nequaquam per se moueri: Si enim eorum aliqua Attributorum virtute nequaquam deferuntur, alijs propterea motoribus non egent, immò omne clum vi suæ intel ligetię circulariter vehitur. Quamobré animaduertere debemus intelligétiās virib⁹ proprijs non mouere, sed Attributorū virtute, ideoq; remotis huiusmodi Attributis, corpora cęlestia tantùm principio intrinseco mouerentur. Propterea ut natura corporum incolumis sit, cùm necessariò contingat omne corpus à principio extrinseco moueri, par est, ut corporum cęlestium vnicuiq; suum Attributū tribuat. Nonnulli verò censebant priam Attributum per suam intelligentiam primum mobile mouere, verùm quia tunc erat numerus orbiū imperceptius, cęlos nouem esse autumabant, ideoq; nouē prima Attributa dabat nouem corporibus cęlestibus. Vnde ultimū in aliquid corpus cęleste minimè influebat, immò alis causa fine causato existebat. Ex quo eorum cogitatio in cassum ruebat, non enim cōsentaneum erat causis superioribus vnam addere, si causa illa nusquam virtute sua existebat. Causa enim di


citur causa, prout in causatū agit. Hęc etenim cum  
in genus relationis reducantur, ita à se mutuo depé  
dēt, vt alterum sine altero haudquam possit sub-  
sistere. Videtur enim uero Attributa in corpora ce-  
lestia tanquam ad finem non dirigi. Causæ enim su-  
periores inferioribus haudquam intenduntur.  
Propterea incōḡium est dicere, ultimum Attribu-  
tum non existere, quoniam ex eo virtus in aliquod  
corpus cœleste non emanat. Pro huiusmodi rei eui-  
dentia sciendum est, quod quamvis non sunt ad cę-  
lum tanquam ad finem intēta, quoniam omnes ef-  
fectus in propriam causam reducūtur, cùm ultimū  
Attributū proprios effectus sibi relatos minimè af-  
sequatur: non principio tamen cur licuit credētibus  
Spheras nouē esse, decimum Attributum cumula-  
re. Causæ enim, cum nostra cognitio ex sensibus or-  
tum habeat, necessariò ex effectibus cognoscuntur.  
Propterea quoniā inferiori Attributo minimè pro-  
prium orbem dabant, nō video quibus medijs in ip-  
sum deuenient, nisi quod ipsi potius ratione nume-  
ri, quàm validis rationibus permoti, decem esse At-  
tributū censem̄bant. Denarius enim solum numerus  
completus est, quoniam extra ipsum neutiquam nu-  
meratur, nisi per quandam circulationem, siue itera-  
tionem, omnemq; numerum, vel infra se contineret,

vel


vel per se suosque explicat multiplicando. Verum enim uero huiusmodi argumentum ex perfectione numeri sumptum, necessitatem non affert. Nam si denarius perfectissimus est, non contingit ob id necessario attributa decem esse, ideoque sermo eorum caput erat: & quoniam primum Mobile nona Sphaeram existimabant, secundum octauam, Saturni orbem ambientem, nonae Sphaerae primu[m] attributu[m], octauae secundum, tertiu[m]que; quod antiqui Bina nuncupabant, Saturno tribuebant. Nos vero rationem ac sensum prosequentes, alium ordinem aggrediemur, ut unumquodque celum in aliquod attributum reducatur.

### *DE TERTIO ATTRIBUTO, quod dicitur Bina.*

**N**ONC vero, ut tertij attributi definitio sit pro viribus ad vnguem enucleata, haud inutile erit primo scrutari octauam Sphaeram, veluti primum mobile, ac nonam Sphaeram tantum motu horum operari; verum etiam Stellarum radijs; vnde nonnulli arbitrii sunt octauum orbem in rerum generatione maiorem efficaciam obtinere. Quod profecto absurdum



absurdum minimè uideretur, si per se ipsam ageret. Quoniam uero superiorum orbium motus aliarum lationum sicut norma operatur; consentaneum est, ut uirtus qua huiusmodi orbis suas explet operaciones, ex continentis virtute munimentum exhibeat: ideoq; maior efficacia ex Sphæra octaua minime potest exoriri. Cum enim omnis causa superior plus influat in causatum, quam causa inferior, necesse est, ut operationes eius sint vehementioris adhaeren- tiæ cum re. Secudo animaduertere debemus, haud quaquam principio intrinseco moueri, sed à sua intelligentia: quæ quidem cum vi propria minimè suum orbem deferat, sed sui Attributi, contingit ut tertium attributum adhaereat Sphære octauæ. Nam si primum attributum primum Mobile, secundum nonam Sphæram, necesse est ut tertium per suam intelligentiam octauum orbem euoluat. Quare ter- tium attributum, quod dicitur Bina, erit instru- tum, quo Deus proprio huius orbis motu, median- te sua intelligentia, octauam Sphæram euoluat: Quoniam vero octaua Sphæra motu tantum in genera- tionem vniuersalem non confluit, verum etiam fi- xarum stellarum radijs, cum suum expleat officium; virtute per suam intelligentiam in ipsam ex suo At- tributo emanante, par est, ut tertium attributum sic instru-



instrumentum, quo Deus ministerio tertiae intelligentiae virtutem confluendi in generationem octauam Sphaeræ, suisq; stellis tribuat. Enim uero, quoniam virtutes morales ex corporibus celestibus nequaquam proueniunt, statuendum est, virtutem moralem, quæ dicitur honoris amatiua, post magnanimitatem ex ordine succendentem, ex tali Attributo esse in animam effusam. Propterea possumus dicere, tertium Attributum esse instrumentum, quo Deus honoris amatiuam in Animam infundit, quæ non ab re compo sitè post magnanimitatem sequitur. Nam sicut multæ virtutes possunt esse communes magnanimitati, alijsq; virtutibus, eodem pacto potest ea s. credi non minus honoris amatiua, quoniam aliarum virtutum operationes, dum magnis honoribus dignæ existimantur, in magnanimitatem referuntur. Si vero habet ad nos æqualem proportionem, ac in mediocres sunt honores instituti, ad honoris amatiuam pertinent. Idcirco dici potest tertium Attributum esse instrumentum, quo Deus proprio huius orbis motu per intelligentiam ipsum deferens, virtutem confluendi in uniuersalem generationem in octauam Sphaeram, suisque stellis infundit, & immediate in animam honoris amatiuam.

Quo-



Quomodo omnes partes cœli sunt virtutis diuinae compotes, unde cœlum augens penitus naturale minimè dici potest, & cur de virtutibus particularibus stellarum non agitur.



VENIAM verò iam dudum retuli octauam Sphæram etiam radijs stellarum operari, decet nunc aliquid circa virtutem ab ipsis orbibus effluentem apertius differere. Propterea animaduertere debeamus, eā minimè ex stellis solummodo exoriri, sed ex totius orbis substantia. Nulla enim alicuius orbis pars est, tam virtute denudata, quin vigore aliquo in inferioribus agat. Si enim Stellæ, ut ferè omnes profitentur, in natura cum totius orbis substantia conueniūt, & per accidēs tantūm differunt, prout stellæ alijs partibus orbis densiores sunt, ac lucidiores, merito existimādū est hujusmodi parteis nō esse virtutis expertes. In homogenijs etenim, partes eandem rationem cum toto obtinent. Quapropter fabuluri videntur, qui palam proferre audent, corpora celestia stellis decorata, influxu tantūm in rerum generationem profluere: reliqua verò solummodo motibus operari, quod quidem veritati minime

mē cōgruit: nam virtus Attributorum corporibus  
cēlestibus delata, in omneis cēli parteis diffunditur,  
totumq; eius ambitum germinanti virtute replet.  
Quapropter si corpus cēleste huiusmodi virtute  
suā operationē exequitur, agēs penitus naturale ne-  
quaquam esse videtur, sed virtutis diuinæ compos,  
inquantū virtus diuina ab eius operatione nunquā  
remouetur. Quoniam verò opus nature, cīt opus in-  
telligentiæ, & quicquid est in natura ex intelligentijs  
originem traxit, nulla profusa actio iuxta huiusmo-  
di sententiā, naturalis esse videtur. Qua de re operæ  
preium est scire, quòd, cīt si omnia ab intelligentijs  
gubernantur, tamen aliqua eorum in p̄sonum fin-  
item, absque medijs corporeis diriguntur, quemad-  
modum sunt corpora cēlestia, quorū motus imme-  
diatè ex intelligentijs oritur, & talia inter agētia pe-  
nitus naturalia non cōputantur, ex eo, quòd virtus  
qua agunt, omnino ex propria forma non desilit,  
sed pr̄fertim ex intelligentiarum substātia. Aliquæ  
verò per corpora cēlestia ab ipsis intelligentijs exagi-  
tatur, quemadmodum sunt grauia omnia, quorum  
actiones, quoniā ab intelligentia immediate heuti-  
quam diriguntur, sed à remouente per accidēs, vel  
per se à generante penitus naturalia dicuntur. Qua-  
propter cùm virtus corporis cēlestis cum intelligen-

G ciarum

iarum virtute commisceretur, cōsentaneum est, ut  
aliquid diuini sortiatur, idēq; pura naturalis nō e-  
xistit. Propterea dum Aristoteles profitetur Solem,  
& hominem generare hominem, fortasse intellige-  
re debemus Solem iunctim cū intelligētia operari,  
nec secus arbitrari quisquam debet. Nam si in ani-  
malis corpore aliqua spiritualia inseruntur, si qui-  
dē pro certo teneri debeat, ex agēti penitus naturali  
haud quaquā posse spiritualia in actum deferri, æ-  
quum est, agens in corum propagationem cōfluēs,  
omnino naturale minimē esse. Quapropter non im-  
merito sententia Platonis, per hominū ora volat;  
ipse enim in Timo de hominis exortu differēs, ut  
eius principia paīam ostenderet, venustè summum  
opificem effingit, nube ænigmatum, præcipere ce-  
lis, intelligentijsq; ut corpus astruerent, quoniam ex  
eius manibus semen diuinum, hoc est anima, trans-  
funderetur. Ex quo ut Platonis sententia immēritō  
non abiciatur, licet fateri, intelligentias simul cum  
celo, corpus astruere. Itaq; quoniam virtus Attribu-  
torum per intelligentias in corpora cœlestia trans-  
funditur, quibus affatim influunt, par est, ut nō mo-  
do stellæ huiusmodi virtutis, verum etiā sint omnes  
celi partes compotes. Verūm quia tertium Attribu-  
tum superius per octauam Sphærām statuū fuit in

rerum

terum generationem vniuersalem confluere; quoniam omnis stella, ut palam est, suam peculiare naturam assequitur, videtur huius, vel illius rei generatio iuxta huius, vel illius stellę naturā det erminari: ut exempli gratia, naturam Martis, Vel Veneris asse quatur. Ideoq; præfinendum erat tertium Attributum, officio huius, vel illius stellę generationem particularē huius, vel illius rei determinare, sed re vera cùm dicimus tertium Attributum munus cōfuerē di in generationem octauæ Sphærę elargiri, tūc dē alicuius stellæ virtute particulari minimè eloquimur, sed de vniuersali ex toto corpore effluente. Si enim omnis stella speciatim enumeraretur ex eo, quod de particularibus nunquam contingit esse scientia, proculdubio sermo noster in infinitum ferè protraheretur: Sat igitur erit de hoc generatim pertractasse. Vnusquisque enim per se ipsum poterit effectus secundum stellarum naturam determinare.

G

De



DE QVARTO ATTRIBUTO,  
quod Hesed nuncupatur.



ORPORA quidem naturalia iuxta ferè omnium assertionem, ut in superioribus rerum, & sint quantumlibet gravia, vel levia, æterna, vel corruptibilia, vim mouédi scilicet minimè assequuntur, immò principio extrinseco deferuntur. Quamuis enim sui motus corporibus sit à natura principium formale insitum, ob id tamen fieri nequit, ut tale principium sub potentia passiuæ non comprehendatur. Grauitas enim, ut Periparetici ferunt, nō est principium, ut moveat, sed ut moveatur: quo sit, ut celum cùm sit naturale corpus à seipso aetiquam moveatur, sed potius à sua intelligentia. Propriæ quoniam intelligentiæ vi propria cœlestia corpora non euoluunt, sed virtute ex Attributis emanante par est, ut Saturni intelligentia virtute sui Attributi, suā Sphæram in orbem deferat. Itaq; si tertium Attributum octauæ Sphæræ, meritò quartū Saturno præest, unde quartum Attributum, quod Hesed nuncupatur, est instrumentum, quo Deus ex Occidente in Orientem ministerio quartæ intelligentiæ orbem Saturni defert. Eorum vero, quæ sublunt stellis sapientes omnes

nes, qui intra corticem perfrutati sunt naturæ arca-  
na, assentit, posse quædam per sapores, odores, & co-  
lores dignosci, quædam verò per imitatione radio-  
rum, vel motus, vel figuræ superiorum, quædam ve-  
rò per Symmetriā inter suas operationes, ac Stellæ  
rum existentem. Ideoq; cognita Symmetria, quam  
inferiora cum Saturno obtinent, arbitratī sunt mul-  
ta Saturno subiūcere, de quibus sanè quoniam diffu-  
sæ naturæ arcaña perscrutantes eloquuntur, opus nō  
est nūc affatim differere, sed potius ut aliorum insu-  
ta à me frustra non iterentur, hoc sicco pede pertrá-  
fire, & tantū de his mentionem facere, quācum no-  
stræ orationis dilucidatio exquirit. Saturno igitur  
ob similitudinem motuum, saporum, odorū, colo-  
rū, aliarumque qualitatum, inter clementa tribuitur  
terra, inter lapides fuscus Iaspis, inter pláticas, quæ fru-  
ctum nō ferunt, inter metallæ plumbum, & inter a-  
nimalia nocturna, & segregata, non ex eo, quòd eo  
rum esse solummodo sit ex Saturno deriuatum, sed  
potius quoniam vîres eius vehementius illis adhæret.  
quemadmodū enim in generatione alicuius mixti,  
ut est corpus terrestre, quamvis elemēta omnia adiū-  
gantur, quoniam terra in ipso dominium obtinet, no-  
men non accipitur ex igne, vel ex aere, vel ex aqua,  
sed ab ipsa terra. Similiter in huiusmodi entia quā-

uis

uis omnium stellarum virtutes congerantur, dicuntur tamē Saturnalia, quoniam præ alijs Saturni virtus in eis viget, ac eorum naturæ, passionesq; magis congruunt naturis, passionibusq; Saturni, unde generati à Saturno dicuntur, ac ut talia sint, præfiniti Idcirkò, quoniā Saturnus, sicut ceteri orbes vigore sui. Attributi, etiam suæ stellæ radijs in generatione vniuersalem cōfluit, suosq; effectus peculiares præfiniit, concedendum est, quartum Attributum esse instrumentum, quo DEVS per quartam intelligentiam munus cōfluendi in generationem, ac suos peculiares effectus præfiniendi, Saturni orbi, suęq; stellę prebeat. Et si superius de Stellis octauæ Sphæræ mentiō nem fecimus, tamen animaduertere operé pretium est, Saturnū in sua Domo, vel exaltatione, vel in aliqua dignitatim iūarum fortiorē esse, ex eo, quod illud idē virtutis genus à quarto Attributo in Saturnum, ex octauę Sphærę Attributo illis etiam signis effunditur, in quibus Saturni virtus corroboratur. In ordine enim huiusmodi causarū obtingit, vt aliquid in aliquā causam relatum, etiā in causam illam ambientem reducatur. Propterea dum virtus signi planetæ virtuti vnitur, plus roboris adipiscitur, atq; in agendo maiorem efficaciā assequitur, quod sane omnibus planetis contingit. Quoniā vero virtutes

im-

immediate ex Attributis emanant, oportet virtutem  
humilitatis ex ordine succeedere post honoris amar-  
tiaam, quarto Attributo tribuere. Vnde tale Attri-  
butum est instrumentum, quo Deus immediate hu-  
militatem in animam infundit. Quæret aliquis, cur  
post honoris amaritiam humilitas primū locum ob-  
tineat? quoniā sicut honoris amaritia se mediocri-  
ter honoribus ingerit, differt verò ab illa, in quātū  
paululum à sua communitate recedit, prout signan-  
ter inter superbiam, & deiectionem versatur. Qua-  
re ex omnibus his, vna communis descriptio elici-  
tur, Quartum Attributū esse instrumentū, quo Deus  
per Saturni intelligentiam mouens ex Occidente  
in Orientem Sphærām, huiusmodi munus confluē-  
di in generationem, suosque effectus præfiniendi  
stelle Saturni, orbiq; suo tribuat, & animis imme-  
diatè virtutem humilitatis.

**QVOD IMPROBITATEM SA-**  
**turni ex suo Attributo minime contingit esse.**

**S**A TURNVS, vt Astrologorū omniū vna-  
nimis est sententia, multa, diuersaq; mala  
vim habet cōmittēdi, quę quidē ab ipso,  
vel à sua intelligentia, vel ab Attributo, vel ab ipsis

omni-



omnibus præscripta sunt, vel ex aliquia eius disposi-  
tione fitus, vel radiatione. A Saturno quidé haud  
quaquá fiunt. Ipse etenim, cùm sit illis affectibus sen-  
sus denudatus, quemadmodum sunt odiū, ira, inui-  
dia, cæteraq; huiusmodi, quæ nos ad malum impel-  
lunt, suapte natura malū aliquid minimè affert, si-  
c ut nec intelligētia, quæ sane cùm duas tantū ope-  
rations intelligere & velle sortiatur, cùm hæ oper-  
ations à summo bono dirigātur, videtur nō pos-  
senī bonum appetere, & velle. Quo sit, vt ex Attri-  
buto eò minus cōtingat esse, quoniam intelligentia  
in boni consistētia per Attributum cōfirmatur, nec  
etiā ex omnibus istis. Primum enim, cùm vacet pa-  
ssionibus sensus, & secundū ad bonum tantūm insti-  
tuatur, tertiumq; intelligentiam faciat in bono fir-  
miter permanere; proculdubio ex huiusmodi cau-  
sarū congerie, potius triplex bonū, quam mali ali-  
quod genus exoritur. Restat igitur vt malū ex suis  
positione, vel aspectu radiatione prodatur. Cōin-  
gunt enim aliquādo huiusmodi passiones in aliqua  
Zodiaci distantia, in qua mutuo sese impediūt. Ac-  
cidit ciam malum ex subiecti deliquio: cùm enim  
aliquando insirmū sit, in ipso stellarum virtus sub-  
mergitur. Actio enim cœlestis tantūm per modum  
disponētis operatur. Ideoq; aduersante subiecti de-

liquio

liquio, contingit aliquando impediti. Dicet aliquis, cùm tārum subiectum disponat, hoc solum celestis corporis virtuti accidere, nō autem alicuius Attributi. Virtus enim Attributorum cùm perfecta, atq; absoluta sit, mouendo aliquid subiectū, perficit illud. Itaque ei neutiquā potest dispositio subiecti aliqua aduersari: quod uerū esset sit Attributa omnibus vi-ribus suis in subiecta cōtenderent. Verūm, quia est agens materiæ non adhibitum, virtutem omniē nō conferunt, sed quantum subiecti facultas fert. Idcirco vim non infert, vnde quandoq; subiectū aduer- satur; signū est propensio animi à Deo, siue ab in-telligentijs proueniens, quę sanè quamuis disponat nos ad aliquid agēdum, siue fugiendum, ob id iuxta propensionem illam aliquādo minimè operamur. Itaq; cognitum habere debemus, improbitatem Sa-turni à suo Attributo haudquaquā emanare. Quod sanè quoniam antiquis exploratum non erat, coacti fuerunt inaniter entibus entia addere. Vnicuiq; At-tributorum duas substantias separatas assignabant, quarum altera orbem suum ad bonū, altera verò ad malum deferebat. Quod omnino indecente existi-mādum est, partim ex eo quod substantiæ separatae cēlum deferentes, malum aliquod non inferunt, & partim etiam, quoniam in causarum ordine, quæ se-

H tra-



tradunt ad mundi regimen, nunquam operationē eorum intermittunt, nec sua officia inter se cōmutant, immò vnaquęq; earū nulla intercapedine officium suum iugiter exequitur. Saturni enim intelligentia, exempli gratia, assiduè suum orbem euoluit, & cùm sit stabilis, atq; æterna, nunquam cedit alicui intelligentiæ, vi pro se suum officium expleat. Hoc solūm, vt Cabalistę ferunt, illis Angelis cōpetit, opem nobis in nostris operationibus ferētibus. Qui quidem cùm sint minoris perfectionis, infimiq; in Angelorum ordine, in suis operationibus indefiniter permanere minimè queunt, sed vltò, citròq; alter alteri locum cedit: quo sit, vt si aliquis bellū aggreditur, tunc genium, siue Angelum bello cōgruētē sortiatur: si verò a bello desistit, ac regimini Republicę se cōfert, tunc genius ille proficietur, & cōfestim in potestate alterius genij Reipublicæ cōgruētis traditur. Verūm enim uerò hoc substantijs separatis mouentibus celum haudquam cōtingit. Si enim per aliquod interstitium, & sit quantumlibet diminutum à sua operātione desisterent, proculdu- bio corū uis fragilis, atq; laboriosa esset. Intermisso enim alicuius operis imbecillitatem agētis arguit, quod sanè in animalibus clarè ostenditur. Dū enim defatigatione, atq; exercitatione ingrauescunt, in-


defi-

desinenter in operationibus suis non persistunt: se-  
cūs verò de substantijs separatis inquirendum est.  
Quæ quidem quoniam nunquā defatigantur, nun-  
quam operationes suas intermittunt. Vnde tam eo-  
rum operatio, quām essentia stabilis est Itaq; cogni-  
tum habere debemus improbitatem Saturni à suo  
Attributo neutiquam emanare: quod de alijs Attri-  
butis etiam arbitrari debemus.

## *DE QVINTO ATTRIBUTO, quod Nezach appellatur.*

T fortasse alicui videri potest, iterando  
denuò, quæ antea à me fuerunt itera-  
ta, eadem sèpius à me frustra iterari:  
sed profectò cùm unus tantùm sit ille  
procedendi modus, qui nos in Attributorum co-  
gnitionem dirigit, necessariò contingit de illis dis-  
serendo ad vnum, eundemq; modum sèpius intels-  
lectum conuertere, quod sanè incongruū minimè  
videri potest. Eodem enim modo causas ratione, ac  
subjecto omnino diuersas, intellectus percipere po-  
test. Videmus enim quòd procedendo ex motis in  
mouentia, prius intelligentiæ, deinde Attributa  
inueniuntur: quod quidem hominibus verita-

tem perscrutáibus minime potest molestiam inferre. In demonstratione enim varietas illa ratiocinandi, qua vtuntur Apologorum scriptores, oblectádi gratia nequaquam expetenda est, sed tantum veritas ipsa. Nam finis speculatiui non est delectatio, sed veritas. Propterea quoniam, vt diximus, intelligentiae vi propria corpora celestia non euoluunt, sed Attributorum, æquum est, vt Iouis intelligézia, virtute ex suo Attributo accepta, Sphærā suā deferat. Itaque si quartum Attributum Saturno, meritò quintū Ioui præfert: ex quo quintū Attributum quod Nezach appellatur, videtur esse instrumentum, quo Deus ex Occidēte in Oriētem, officio quintæ intelligentiæ, Sphærā Iouis euoluat. Præterea, quoniam non minus Iuppiter, quam Saturnus, viriute sui Attributi, etiam luce Stellæ radijs in generationem vniuersalē confluit, suosq; peculiares effectus præfinit, concedendum est etiam quintum Attributum esse instrumentum, quo Deus, ministerio quintæ intelligézie, munera confluendi in generationem, ac suos peculiares effectus præfiniendi, orbi Iouis, suazq; stelle tribuat. Peculiares autem effectus Iouis, dicuntur esse inter elemēta aer, inter metalla stannum, inter lapides berillus, inter plantas ocymū, & inter animalia quis, que quidem cùm sint in qualitate proxima Ioui, dis-



ui, dicuntur ab ipso generari, ac præfiniri. Quoniam  
autem in virtutes morales minimè celum imperium  
habet, necessariò contingit, ut ex Attributis absq; me  
diis sint in animam transfuse. Vnde si humilitas per  
Saturni Attributum transfunditur, meritò magnifi-  
centia post illam compositè succedens, ex Iouis At-  
tributo nobis delata erit. Ergo quantum Attributum  
est instrumentum, quo Deus magnificentiam in ani-  
mam infundit: nec fuit ab re huiusmodi virtus à no-  
bis prope humilitatē posita. Nam si virtutes bona  
exteriora, ac honesta respiciētes, superioribus Attri-  
butis traditæ fuerūt, optimo iure virtutes, quæ circa  
bona utilia exteriora versantur, succendentibus tri-  
buuntur. Cū igitur magnificētia sit alijs virtutibus  
respicientibus bona utilia longè præstantior, meri-  
tò ordinatim post humilitatē, eminentiore locū ob-  
tinet. Nō melatet alios prius de virtutibus utilia re-  
spicientibus pertractasse, postmodum de alijs. Cūm  
enim nostra cognitio ex sensibus exortum habeat,  
& huiusmodi bona magis sensibus elucent, hāc  
nō immeritò seriem prosecuti sunt. Nos verò, si ma-  
gis vel minus sensibus notiora sint, minime per-  
scrutamur, sed prout altera virtus altera est præstan-  
tior, in altiorem reducitur causam. Ideoque cūm vir-  
tutes in bonis honestis versantes sint præstantio-

res,

res, ex eo quod honesta utilibus præferuntur, cōsen-  
taneum est, ut in alios reducantur causas. Quo fit  
ut Nezach sit instrumentum, quo Deus per quin-  
tam intelligentiam deferens ex Occidente in Orien-  
tem huiusmodi Sphæram, munus confluendi in ge-  
netationem, ac Ioui alia præfiniendi in orbem Io-  
uis, stellamq; imundat, & immediatè magnificen-  
tiam in animam.

## QVOD PROBITAS IOVIS EX suo Attributo transfunditur.


**N**O RIS compertum iam est, non à suo  
Attributo, non ab intelligentia, neque  
à propria Sphæra improbitatem Satur-  
ni exortum habere. & hæc omnia de-  
monstrauimus, vt omnibus exploratum esset, Attri-  
buta ex se malum aliquod non inferre, secus autem  
quoad Iouis bonitatem censendum est. Omnia ei-  
nī in bonum confluunt, Attributa per se intelli-  
gentiae Attributorum virtutem subministrando, ip-  
sumq; corpus cœlestē consequentia formæ ex Attri-  
butis adepta. Vim enim operandi, & formam, à qua  
sua consequentia effluit, ex uno eodemq; agenti adi-  
piscitur. Itaque virtus, qua Iuppiter omnia bonita-  
ter.

re replet, si est consequens formę, ipsaq; forma, vt  
palam existit, à suo Attributo derivatur, sui Attribu-  
• si principaliter erit. Qua de re, dum omnia profitē-  
tur esse Iouis plena, intelligere par est, omnia esse  
virtute huiusmodi Attributi ad vnguē repleta: nec  
quidem ab re. Ex orbe enim Iouis non transfundun-  
tur, nisi quedam qualitates, quæ ratiè cùm sint acci-  
dentialia, ex eorum virtute minimè possunt substatiæ  
generari. Idcirkò necessariò contingit, vt virtute sui  
Attributi à Iove generentur.

## DE SEXTO ATTRIBUTO, quod Genuora annunciatur.



N ipsa quidem causarum serie res om-  
nes, si natura inter se congruunt, oportet ut eorum etiam mouentia inter se  
naturaliter congruant. Videmus enī  
, quod sicut corpora principio intrinsecō mo-  
tus prædicta, mutuò inter se suis naturis conueniunt, sic etiam eorum mouentia ad invicem sibi ip-  
sis respondent: pari modo sicut corpora celestia  
eandem omnia naturam affequuntur; sic etiam sua  
mouentia in una, eademq; natura conueniunt, pro-  
ut sunt substantiæ incorporeæ spirituales, ac intel-  
ligibi-



ligibiles. Quapropter si Martis orbis cum alijs in na-  
tura cōgruit, optimo iure eius motor debet cū alijs  
in hoc conuenire. Itaque sicut ceteri causas motri-  
ces, non motas adepti sunt; sic etiam debet causam  
eiusdem naturę sortiri, quę quidem ad hoc, ut in na-  
tura cum alijs conueniat, oportet Attributū esse: ali-  
ter si huiusmodi nota conuenirēt, mouentia verò  
haudquaquam, proculdubio illorum congruentia,  
istorum dissensioni obsistēdo, actiones eorum uni-  
formes, continuæq; minimè fierent. quod minimè  
profiteri debemus, ex eo quod uniformitas; atq; cō-  
tinuatio eorum operationum sensu percipitur. Vi-  
demus enim omnia corpora cœlestia circulariter  
euoluti, vnuquođq; etiam eorum in quædā prafinita  
temporis intercedine suum iter perficere, om-  
niaq; confluere in uniuersalem generationem, atq;  
etiam vnumquodq; eorum sua particula ria progi-  
gnere. Quæ quidem quamuis differant specie, ob id  
eorum naturę minimè inter se omnino dissentiūt,  
sub eodem enim genere intercluduntur, siq; alterū  
aurum, alterum verò argétum progignit, propterea  
res ordinò natura sciunctas non generant, immò  
mutuo inter se cōgruētes, ex eo quod proxima eos  
materia vna, & idem est. Propterea res motæ  
in suis naturis congruentes, debent etiam motores


con-

conformes habere. Igitur cōsentaneum videtur, vt Martis etbi, quoniam in natura cum alijs cōuenit, causam motricem tribuamus, quę in natura cū alijs causis conueniat. ex quo, cùm omne cēlum virtute motrice sui Attributi deferatur, congruū est, vt etiā Marti suum Attributum clargiatur. Et quoniam receptum est quintum Attributum iouis intelligentiæ impendere, par est, vt sextum intelligentiæ Martis impēdeat. Itaq; sextum Attributum, quod Gheuora nuncupatur, est instrumentum, quo Deus per sextā intelligentiam ex Occidente in Orientem orbem Martis egoluit.. Quoniam verò excipiendo virtutē ex suo Attributo radijs suæ stellæ erā in vniuersalem generationem confluit, ac Martialia præfinit, cōtingit esse instrumentum, quo Deus per sextā intelligentiā munus confluendi in generationem, ac Martialia præfiniendi Sphæræ Martis, suæq; stellæ clargitur. Martialia autem dicuntur inter elemētia ignis, inter metalla ferrū, inter lapides adamas, inter iplatas helleborus, & inter animalia onager. Verūm quia virtutes morales immediatè sunt ex Attributis, arbitrari debemus, Attributū Martis liberalitatē animis elatgiri. Idcirkò videtur etiā esse instrumentum, quo Deus liberalitatem immediatè in animam infundit. Liberalitas autem ex ordine post magnificentiam

ficientiam succedit. Versatur enim circa mediocres sumptus, unde possumus unam communem descriptionem elicere, quod sextum. Attributum sit instrumentum, quo Deus, ministerio sextae intelligentie, ex Occidente in Orientem, Martis orbem deferens, munus confluendi in generationem, ac Maritalia praefinienda in huiusmodi orbem, suamque stellam infundat, immediatique liberalitatem in anima.


**NVNCE STENDITVR NON**  
**posse scientijs humanis inveni, propriam in**  
**telligentiarum nomina inveniri.**

**N**ON VLLI ex sapientium numero, sed tanto non arbitrantur se posse virtutes Attributorum, & intelligentiarum scire, verum etiam ipsis intelligentijs nomina adscribunt, unicuique suum nomine proprium tribuendo, quod sane neque contemnerre, neque suadere audeo. Hoc enim non latime, sed ad illos pertinet, quibus a Deo, siue a sacris sapientibus fuerunt nomina huiusmodi edita. Ipse vero tantum de his mentionem facio, quantum humana scientia fert. Verum enim uero, non possum me adducere in sententiam eorum qui proferre audent aliquibus



aliquibus scientijs posse propria intelligentiarum  
nomina inueniri. Si enim solum ex effectibus da-  
tum est nobis mentem ad superna erigere, oportet  
diuina nomina secundum hanc methodum indaga-  
re; quod mihi videtur omniō incōgruum. Nomi-  
na enim vel sunt in se quādam res naturales, vel ad  
placitum, vel ex operationibus rerū educuntur.  
Res naturales dicuntur illa nomina, quæ aliquā na-  
turem actitudinem habent, sicut quādā nomina  
Hebraica, quæ trā̄sposita in aliquam linguam, non  
retinent suam naturalem significationem, & conse-  
quenter virtutem. Ad placitum sunt illa, quæ iuxta  
hominis voluntatem imponuntur. Reliqua verò re-  
spōdent motibus, vel figuris, vel pāſſionibus, vel o-  
perationibus, vel proprietatibusterū, de quibus ali  
quo pacto possumus conjecturam consequi. Respō-  
dent enim aliqua ex parte rei, sicut flumen ex eo flu-  
men dicitur, quia fluit. Illa verò quæ sunt ad placitū,  
si nostro arbitratu imponūtur, proculdubio ab ho-  
minibus sciri possunt. Hoc verò proprijs nomini-  
bus nō obtingit, si enim aliqua uia est quæ faciat sci-  
re naturas rerū diuinarū, est percipue illa, quæ vtitur  
Aristoteles, dum procedendo ex motibus in mouen-  
tia, cōtingit necessariò ad mouentia, nō mota per-  
venire, & secundum hoc potest inueniri, huiusmodi

I 2 mouen-



mouétia esse substárias immobiles, atq; immateriales. Sed minime possumus dicere, hanc vel illá intelligentiam naturaliter hoc nomen proprium, vel ille lud retinere. quo sit, ut in magnum errorem incidat, qui proferre audent, Martis intelligentiam naturáliter vocari Samel. nomé enim huiusmodi arbitror fuisse ab hominibus impositum: respódet enim operationibus Martis. Qua de re concluditur, nullam scientiam humanitus inuentam posse propria intelligentiarum nomina tradere. nec profectò ars vlla est, quæ possit in hoc pacto nos aliquo inuare. Ars enim duplex est, Diuina scilicet, & Humana. Huma na quidem pluribus experientijs efficitur: propterea si aliquibus artibus aliquis posset cognitionē non inum capere, oportet quod illis aliquę experientię præcessent, quæ quidem haudquaquam potuerunt fieri. Particularia enim illa, nisi me fallo, in quibus experientia huiusmodi versari debet, minime sunt hominibus nota. Vnde ratione huius procedendi modi nequaquam intelligentiarum nomina possunt inueniri. Diuinam autem artē homines nō assequuntur. Est enim in Deo solum, & in ipsis intelligentijs, quæ diuina arte naturā ipsam, & inferiora omnia instruunt. Quo sit ut homines, quoniam sunt huiusmodi artis expertes, non possint cognitionem

hanc

hanc adipisci. Ideoq; si nulla ars, nullaq; scientia in hoc potest nobis aliquod iuuamen afferre: necessario concludimus, humanitus non posse nomina illa reperiri. Verum enim uero sententiam eorum no reuicio, qui arbitrari sunt hoc fuisse aliquibus reuelatione traditū. Immò illis tantum assentior, quatenus sententia eoru à diuino fideliu cetu non dissentit. Debemus enim, ut Plato in Timeo refert, filijs Deorum adhibere fidem, qui quidem diuino numine afflati, potuerunt in arcana Dei penetrare, & operationibus excedere gradum, & terminum illorum, quæ possunt naturaliter fieri. Quod equidem ab Aristotelis dictis no dissentit. Ipse enim in libro de celo, & mundo non definit profiteri opinionem antiquorum minimè esse contemnendam.

Quapropter cum credidissent, huiusmodi nomina fuisse hominibus reuelatione tradita, incongruum esset dictis eorum ocurrere.

Cùm



DE SEPTIMO ATTRIBUTO,  
quod Thiferet nuncipatur.



V. M. igitur omne cœlum, ut palam existit, à sua intelligentia deferatur, & intelligentia virtute sui Attributi cœlum euoluat: oportet orbem Solis à suo Attributo, ministerio suæ intelligentiæ deferri. Et quoniam diximus sextum Attributum impendere Marti, optimo iure censendum est, septimum influere per Sphærā Solis. Quo fit, vt septimum Attributū, quod Thiferet nuncipatur, sit instrumentum, quo Deus per intelligentiam Solis, ex Occidente in Orientem Solarem orbem euoluat. Sed quoniā Sol, virtute ex suo Attributo accepta, luminibus suis etiam in generationē vniuersalem confluit, suosque peculiares effectus præfinit, videtur esse instrumentū, quo Deus, officio Solaris intelligentiæ munus cōfide di in generationē, ac Solaria præfiniēdi Soli, orbiq; suo præbeat. Solaria autem sunt inter elemēta ignis, inter metalla aurum, inter lapides carbūculus, inter plāta, heliotropium, & inter animalia Leo. Verūm, quia liberalitas in nos, ex sexto Attributo, optimo iure mansuetudo compositè succedens, post illā ex septimo trāsfunditur. Quapropter est etiam instru men-

mentum quo Deus mansuetudinem immmediatè in animam infundit. Mansuetudo autem post liberalitatem locum obtinet, quoniam exteriora mala signanter respicit, non autem bona utilia, sicut liberalitas. Idcirco, quoniam malum se habet ad bonū, sicut priuatio ad habitum: (id enim circa quod mansuetudo versatur, est quodammodo defectus, unde ratione subiecti a liberalitatis præstantia satis recedit) qua propter concludi potest, septimum Attributum esse instrumentum, quo Deus per septimam intelligentiam ex Occidente, in Orientem Solarem orbem deferens, munus cōfluendi in generationē, ac Solaria præfiniēdi Soli, suoq; orbi tribuat, & animalium immmediatè virtutem mansuetudinis.

**CVR HVIVS ATTRIBVTI, ORBIS**  
maior alijs in medio figura existat, & quomodo virtus eius fulcimento non egeat.

**V**ONIAM vero huius Attributi orbis medio in figura ponitur, ac magnitudine sua præstat alijs, arbitrii minime debemus hoc fortuitò eveniente, immo congruum est causam indagare. Itaque sciendum est, quod maiores nostri de his differentes,



rentes, quoniam ratione non ducebātur, circa con-  
clusiones multoties errabāt, propterea multis erro-  
neas opiniones imbibebat: & spatiatim credebāt  
tria superiora Attributa, vt in superioribus retuli,  
nō elargiri virtutē suā corporibus celestibus, quod  
demonstratum est omnino esse incongruum, idcir-  
cò, quoniam credebāt tantum septem inferiora in-  
fluere virtute eorum in planetarum Sphæras. Viden-  
tes deinceps Attributum illud, de quo nunc agitur,  
impendere Soli, & Solē in medio planetarum exis-  
tre, posuerūt orbem huius Attributo adscriptum, in  
medio figuræ, vt notum esset sapientibus, huiusmo-  
di Attributum influere in Sphæram, in medio exi-  
stentem. Circulus etiam ambitu suo sit maior, vt no-  
bis compertum sit huius Attributi virtutē per Sphē-  
rā Solis magis manifestari. Nā sicut Sol sitū immu-  
tat, & aspectum: sic etiam videntur tempora, gene-  
ratio, & corruptio rerum variari, quæ per alios pla-  
netas minimè manifestatur. quoniam, exēpli gratia,  
non possamus dicere Martem, siue Mercurium mi-  
grādo in hoc, vel in illud signum, uer, siue autum-  
num efferre, hoc enim soli tantum competit, ideoq;  
virtus sua nobis magis manifestatur. Vnde Aristote-  
les afferēt Solem, & hominem generarch hominem  
de stellis fixis, deq; alijs planetis nullam mentionē

facit,

facit, non quia stellæ, & planetæ omnes nō cōfiant  
 in generationem, sed quoniā nobis virtus Solis ma-  
 gis manifestatur. Itaq; his rationibus melius est an-  
 tiq; rū causam agere, quām arbitrii hoc fortuitò  
 evenisse. Debemus enim multūm antiquis, etiam il-  
 lis, qui veritatem minimè aggressi sunt, quoniā no-  
 bis perscrutādi veritatē anīam dederūt. Vnde si nō  
 demonstratis, saltem probabilib; rationibus de-  
 bemus opinioni eorum auxilium ferre, dummodo  
 opinio non sit penitus incongrua. Quapropter si  
 sententia eorum in omnibus cum ratione congrue-  
 ret, nūnquam occurrerem dictis suis. Quoniā verò  
 aliquando decipiūtur, vt ratio veritatis saluetur, nō  
 possum aliquo pacto in aliquibus rebus cum eis cō-  
 uenire, immò cogor potius veritati adhærere. Plus  
 enim debemus veritati, quām antiquis. Vnde Aristo-  
 teles ipse noluit Socrati, nec Platoniparcere. Idcir-  
 cò de Solis Attributo disserēdo, cogor nunc inuitè  
 eorum dictis aduerfarī. Nam ipsi putabant virtutē  
 huiusmodi Attributi esse in lumine Solis, radijsque  
 suis veluti in subiecto. quod arbitrari minimè debe-  
 mus, partim quoniā virtus illa subiecti fulcimento  
 nō eget, & partim etiā, quoniā accidētia suapte natū-  
 ra rem aliquā sustinere minimè queunt; vnuūquodq;  
 enim Attributorum solummodo veluti instrumē-

K to,

zo, non sicut fulcimento, lumine, radijsq; utitur. Am-  
biget forsan aliquis hoc haudquam contingens:  
re: una enim eademq; res minimè potest duorum  
agentium instrumentum esse. Quapropter cum lu-  
men instrumentum sit operationibus corporis cele-  
stis deseruiens, congruum fieri nequit, ut etiam sit  
Attributorum instrumentum, quod uerum esset, si  
instrumento laboris, aliquid alterum agentium ad-  
iungeret, sicut exempli gratia collopi nixo suo fulci-  
mēto accidit, qui sanè dum vim alicuius agentis su-  
stinet, si vis alterius adiungitur, minimè illam ferre  
potest, sed protinus confringitur. Secius verò de lu-  
mine arbitrii conuenit. lumen enim potest  
simul Attributis, corporibusq; celesti-  
bus inseruire; nam vis Attribu-  
torum minimè lumen gra-  
uat, immò corroborat  
ipsum, ac inde vim  
maiorem ope-  
randi asse-  
quitur.



## DE OCTAVO ATTRIBUTO,

quod, Od, nuncupatur.



Ter si corpora cœlestia omnia sunt ma-  
teria prædita, tamen vim non assequi-  
tur eorum materia, ut possit seipsum  
sua forma denudare, alijsque induere.  
Idcirco subire naturalem generationem, corruptio-  
nemque; minimè potest, nec ratione suę hylæ, corpus  
cœlestis decrementum potest, vel incrementum susci-  
pere, nec qualitate aliqua corruptiva vitiari, sed tantum  
potentiam habet, ut localiter ab aliquo extrin-  
seco deferatur, quod si erit Veneris orbi applicatū,  
proculdubio inuenimus potentiam tātum ad Vbi  
obtinere, & à suo motore extrinseco, hoc est à suo  
Attributo deferri quod necessariò erit octauum, co-  
positè post septimum succedens. Igitur octauum  
Attributum, quod dicitur, Od, erit instrumen-  
tum, quo ex Occidente in Orientem per octauam  
intelligētiā à Deo Veneris orbis defertur. Verū  
enim uero, quoniam cum alijs planetis, etiam radijs  
suum stellæ in vniuersalem generationem confluit,  
suosque peculiares effectus præfinit, videtur esse in-  
strumentum, quo Deus, ministerio octauæ intelli-  
gentie, virtutem confluēdi in generationem, ac ves-

K 2 nerea



nereā p̄fāniēdi Veneris orbi, sūaq; stelle p̄fēcat.  
Venereā autem sunt, inter elemēta aqua, inter metal-  
la argentum, inter lāpides Chrysolitūs, inter plātas  
thymus, & inter animalia hircus. Præterea quoniam  
mansuetudo ex septimo Attributo in nos trāsfundi-  
tur, meritò veritas ex octauo ecit animis delata. Id-  
circò octauum est etiā instrumētum, quo Deus im-  
mediatè virtutem veritatis in animā infundit. Sed  
cūm virtus bona exteriora, quibus cūm alijs cōmu-  
nicamus, respiciens, triplex sit, videlicet veritas, affa-  
bilitas, & eutrapelia, cur potius octauo Attributo ye-  
ritas, quam affabilitas, vel eutrapelia tribuitur; quo-  
niā sicut superius de virtutibus bona vtilia, atq; ho-  
nesta differēdo fuerunt ex ordine distributa, primū  
quidem locum nobilioribus semper tribuendo; sic  
quidem de alijs differendo; que fanè quoniam circa  
bona quibus cūm alijs cōunicamus versantur, mi-  
nimè possunt tantam bonitatis, atque arduicatis ra-  
tionem assequi, congruum est, eundem ordinem  
prōseguendo nobiliorem alijs anteferre. Quapro-  
pter cūm ueritas sit affabilitate, eutrapeliaq; præstā-  
tior, m̄ ritò p̄fēnur illis. Quod sit p̄fēntio, p̄fē-  
tio existit: nam ueritate dempta recta cū alijs ratio-  
versandi ad vnguē tollitur. Videmus enim à veri-  
tate deficientes minimè posse cūm alijs recte agere.

Sive-

Sivero è contra deficit affabilitas, ob id veritandi ratio omnino nō tollitur. Multos etenim compertū est, ex eo, quod nimis amicabiles, vel agrestes se offendunt, à rectitudine non deficere, quamvis altera contemptum afferat, altera vero odium excitet. Ex quo si ueritas præferritur affabilitati, tanto magis eutrapeliae præferri debet: virtus enim huiusmodi reddit à nobilitate affabilitatis, quoniam versatur circa ludos. Possimus igitur statuere, octauum Attributum esse instrumentū, quo Deus, officio octauae intelligētiæ, ex Occidente in Orientē Venetis orbem deferens munus cōfluendi in generationem, suosq; peculiares effectus prefigendi in huiusmodi stellā, suumq; orbem infundat, immediateq; virtute veritatis in animam. Ambiget vero aliquis, si veritas est finis speculariū, haudquam potest esse moralis virtus: nam moralis virtus est animi operatio, veritas vero minime. Veritas duplex est, altera, quæ syllogizando concluditur, & hæc nunquā se exhibet operationi, sed tantū circa speculabilia versatur; altera, quæ ad actū operandi tunc reducitur, dum ali cui minime contingit aliqua uilia sibi tribuer, que sanè in ipso reperiri nequeunt, nec de se verbis, vel operationibus ostēdit plura, quā ratio sua expostulat. Occurret fortassis aliquis, si una eadēq; est veritas illa,



tas illa, quam prius speculatur, deinde ad actū operandi reducit, videtur altera non recte ab altera distingui, sicut exempli gratia obtingeret, si ratiocinatio intellectu concluderem; me nihil iniuste egisse, si postea verbis idem suade rem, proculdubio id quod prius speculabile erat, ad actum operandi reductur. Propterea quamuis veritas, ut veritas est in suo communi sumpta, utrunque veritatem continet, ob id tamē hæc ab illa non immeritò distinguitur, quoniam veritas speculativa haudquaquam ex intellectu in aliud migrat, sed in ipso remanet. Veritas autem moralis è conuerso, non remanet in suo profitente, sed ab alio excipitur. unde optimo quidè iure distinguuntur, & præcipue quoniam veritas speculativa multa continet infra se, quæ nunquam se operationi præbent, sicut accidit, exempli gratia, quando concludit, Deum habere virtutem infinitam, substantias separatas esse Hylæ expertes, multaq; huiusmodi, quæ neutiquam possunt ad actum operandi reduci.



40  
*DE NONO ATTRIBUTO, QVOD*  
*Iesod nuncupatur.*



Non sed quisque planetarum suopte motu ex Occidente in Orientem deferatur. Et quoniam celum omne aptum natum est, ut virtute aliunde accepta moueatur; consonum est, ut orbis Mercurij ab alio, hoc est à sua intelligentia deferatur, quæ quidem cùm virtute propria non moueat, sed eminētioris causæ oportet virtutem illā, qua orbis euoluiatur, in ipsam ab alio transfundit. Verūm quia necefariò ex aliquo Attributo deriuatur, arbitrari debemus, virtutem intelligentiæ Mercurij à suo Attributo emanare. Idcirkò deferente octauo Attributo celum Veneris, concludi potest Mercurij orbem à nono euolui, ex quo nobū Attributū, quod dicitur Iesod, erit instrumentum, quo Deus ministerio Mercurialis intelligentiæ ex Occidente in Oriētem, huiusmodi orbem defert. Quoniam autē officio ciudem intelligentiæ, excipiendo virtutem ex suo Attributo, etiā radijs suæ stellæ conflueat vniuersalem generationem, ac Mercurialis præfinit: cōsingit esse instrumentum, quo Deus per Mercuriale intelligentiam, munus cōfluendi in generationem,

ac

ac Mercurialia præfiniendi stellæ Mercurij, orbis  
suo clargitur. Mercurialia autem dicuntur, inter ele-  
menta aqua, inter metallæ argentum viuum, inter la-  
pides topatius, inter plâtas pétaphylon, & inter ani-  
malia Hyena. Præterea ratione ex superioribus trâf-  
lata, percipi potest, affabilitatem veritati compositè  
succedentem, nonum Attributum clargiri. Vnde  
etiam videtur esse instrumentū, quo Deus immediâ-  
tè affabilitatem in animâ infundit. Dicet fortasse ali-  
quis sermonem nostrum immutatum esse, quoniam  
de rebus nō agitur omnibus, quæ ex Attributis ema-  
nant. Mercurius enim, exépli gratia, virtute sui At-  
tributi, eloquentiam infundit, & tamen ob id nō di-  
cimus nonum Attributum infundere eloquitiā. Ad  
hæc, cù superius diximus Mercurialia præfiniri, sub  
codem generè Mercurialium fuit ipsa facundia de-  
prehensa, deq; ipsa mentionem minimè feci, ne or-  
dinem scientiæ transgrederer. Scientia enim de par-  
ticularibus haudquam contingit esse. Quapro-  
pter ex omnibus his concluditur, nonum Attribu-  
tū esse instrumentū, quo Deus ministerio Mercuria-  
lis intelligentiæ, ex Occidente in Orientem, Mercurij  
orbem deferens, munus confluendi in generationē,  
ac Mercurialia præfiniēdi in huiusmodi orbē, suâq;  
stellâ infundat, & immediatè affabilitatē in Animâ.

De

38

# DE DECIMO ATTRIBUTO,

*quod Malchut dicitur.*

**R**

ATIONIBVS anteà sèpius iteratis, absque aliqua alia probatione percipi potest celum Lunæ, cùm sit alijs in natura cògruens, necessariò ab aliquo extrinseco euolui, omnino suis naturis alijs motoribus congruente. Ex quo huiusmodi motor necessariò erit Attributu. Qua de re deferente nono Attributo celum Mercurij, dici potest Lunæ orbis à decimo euolui. Vnde decimum Attributu, quod dicitur Malchut est instrumentum, quo orbis Lunæ ex Occidente in Orientem officio Lunaris intelligentiæ à Deo euoluitur. Verùm, quia huiusmodi orbis virtute fui Attributi, sicut alij planetæ per intelligentiam sibi congruentem etiā radijs suis in vniuersalem generationem cōfluit, ac suos peculiares effectus præfinit, videtur esse instrumentum, quo Deus ministerio Lunaris intelligentiæ munus confluendi in generationem, ac Lunaria præfiniendi Lunæ, ac orbi suo tribuat. Lunaria autem sunt inter elemēta terra, inter metalla argentū, inter lapides argentea marchesa, inter plantas selenotropion & inter animalia Chamæleon. Verú quia eutrapelia ultima in ordine virtutum existit, congruū est, vt sit ultimo Attributo cōcessa. Itaq; a decimum Attributum est instrumentum, quo Deus immediate eutrapeliam in animam

E infun-

infundit; vnde postea collauditur, ultimum Attributum esse instrumentum, quo Deus ex Occidente in Orientem Lunæ orbem ministerio lunaris intelligentiæ deferens, munus confluendi in generationem, ac Lunaria præfiniendi in Lunam, orbemq; suū infundat, immediateq; eutrapeliā in animam.

**QVOD VIRTVS ATTRIBUTORVM**  
*semper eodem tenore se elargitur corporibus cœlestibus.*



X C I P I E N D O autem Luna virtutem à suo Attributo, cùm nunc lumine plena, nunc verò diminuta sit, vnde quandoq; incrementum, quandoque rebus decrementum infert, alicui videri potest, hoc contingere ex eo, quod virtus Attributi non semper eodem tenore se elargitur orbi, sed aliquando magis, aliquando verò minus. Verùm enim uero ex parte Attributi hoc minimè euenit; nam cùm sit causa cōtinua, & diuinæ, semper uniformiter se habet, idēq; equo semper tenore virtutem suam p̄ebet, hoc verò tantum ex Lune corpore exortitur: nam officio quorundam accidentium operādo, sicut sunt motus, lumen, quemadmodum huiusmodi accidentia mutationem subeūt, eodem modo operationes Lunæ variantur. Et quamuis eius alteratio nō sit corruptiua, adeò tamen aliquādo afficitur ex eo, quod est suis la minibus orbata, quod virtus Attributi in ipsam sum mergitur, sicut accidit, quando in umbram terre ingreditur,

greditur, q̄ quidē Soli etiā, alijsq; stellis obtinet dū  
radiatione aliqua, vel dispositione situs obūbrātur?

## QVAE SVNT A FIGURA


*Attributorum amouenda.*



IGRAM autem semiorbicularem  
sub orbe Attributū Lunæ denotāte ex  
ordinelocatā, iuxta maiotū sententiā,  
arbitrari debemus, subiectū virtutēm  
Attributorū excipiens denotare. Nā sicut continens  
omne huiusmodi figura p̄reditū, tantū alicuius cō-  
tentī suscipit, quantū sua capacitas exquirit, & exin-  
de partē aliquā illius minimē ferre potest, eodē pacto  
huiusmodi subiectū tantū virtutis Attributorū su-  
scipit, quantū facultas sua fert. Et exinde si virtus ca-  
ptū subiecti p̄cellit, proculdubio in ipsum mergi-  
tur. Antiqui verò (ni fallor) in hoc inconditè se gesse-  
re: nā sciētia, q̄ de Attributis est, itidēq; illa, q̄ de eo-  
rū subiecto virtutē suscipiente agere dēt, vna cadēq;  
esse haudquaquam potest. Idcirco Attributa inter cor-  
ticē perscrutantes, minimē debēt ad naturā, proprie-  
tatesq; eorū, subiecti sermonē cōuertere: hoc enim  
tale mētibus chaos infert, quale profecto aliquid no-  
bis afferret, si de pprietatibus, naturisq; Solis differē-  
do, veller ēt simul de omnibus, quę calore Solis ex-  
agitatur, adamussim differere. Prēterea eadē imperi-  
tia perstricti, tria inter orbēs figurę, radios scilicet ex  
orbe, q̄ dicitur Chochma, emanātes, cādelabruq; &

arcā interposuerūt, Radij intelligētias ipsis Attributis inferentes denotāt. Cā delabru septē lumīnibus accēsis decoratū, septē planetas, arca verò triplicem mundū esse, intelligibile quidē, cēlestē, atq; elemētalē. Naturas igitur, proprietatesq; planetarū, ac etiā intelligētiarū alibi opportunū erat perscrutari, quoniam ab ipsis Attributis ratione, ac subiecto distinguitur. Quod si maioribus cōgruebat, eo magis debet, nā iuxta feriē scīæ procedendo ex motis in motuētia, haudquaquā possem tot intelligētias reperire, quot ipsi ponebant, qm̄ præter substantias separatas, corpora cēlestia deferentes, multas quoq; arbitratī sunt ipsis Attributis subijciendas. Etsi autē nos sāpius de planetis, deq; intelligentiis mentionē fecimus, hoc tamen haudquaquā incongruum fuit, quoniam naturas, suāsq; quidditates minimē perscrutati sumus, sed per ipsas, veluti per gradus nixi sumus in Attributa scandere. Quo verò ad Arcā, oportet nos in eandem sūiam cōuertere. Triplices enim mundus propriū sermonē expostulat. Antiqui verò ordinem scientiæ abrumpentes, inferiora cū superioribus immiscendō potius tenebras intellectui, quā lumen attulerunt. Propterea ne in hoc incideré, radios, candēlabrum, arcā, figuramq; semiotbicularē, mihi visum fuit amouere, figuræ quidem Attributorū solū modo decē circulos telinquento, vt clarē ex huiusmodi figura quisque per seipsum percipere potest.

Cheter



Hec à me tantum sint de Attributis pertractata. Re-  
liqua verò, quæ, prosequendo ordinem scientie, con-  
sequi possunt, acriora ingenia inquirant.

F I N I S.

